This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



600091931T

600091931T

600091931T

De

# CYRILLI HIEROSOLYMITANI

## orationibus quae exstant catecheticis

scribebat

**J. TH. PLITT,**

theologiae licentiatus, Heidelbergensis ecclesiae Spiritus s. pastor, seminarii theologici praeceptor, academiae concionator.

**Heidelbergae.**

Sumptibus J. C. B. Mohr.

MDCCCLV.

410. c. 29.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·
QUAERITIS
ILLUM

# CONSPECTUS CAPITUM.

## Pars I. Historia Cyrilli.

### Caput I. Ecclesia Hierosolymitana inde a primordiis usque ad annum CCCXXXVI.


pag.

§. 1. Jacobus Justus, primus Hierosolymorum episcopus. . . . . 3
§. 2. Ecclesia Hierosolymitana in asylo Pellensi. . . . . 11
§. 3. Ecclesia Aeliae Capitolinae. . . . . 16
§. 4. Ecclesia Hierosolymitana Constantini Magni temporibus. . . . 20


### Caput II. Ecclesia Hierosolymitana Cyrilli temporibus.


§. 5. De Arianorum in ecclesia dissidiis. . . . . 27
§. 6. De Cyrilli rebus gestis. . . . . 31


## Pars II. Doctrina Cyrilli.


§. 7. De Symbolo Hierosolymitano. . . . . 42


### Caput I. De Symboli articulo primo.


§. 8. De Deo patre omnipotente. . . . . 51
§. 9. De coeli et terrae creatore. . . . . 62
§. 10. De angelis. . . . . 65
§. 11. De hominibus. . . . . 71


### Caput II. De symboli articulo altero.


§. 12. De vita Jesu Christi humana. . . . . 75
§. 13. De duabus Jesu Christi naturis. . . . . 94
§. 14. De officio Jesu Christi mediatorio. . . . . 107

### Caput III. De symboli articulo tertio.

pag.
§. 15. De Spiritu sancto et de sacrosancta Trinitate. . . . . 125
§. 16. De verbo divino. . . . . 131
§. 17. De sacro baptismo. . . . . 135
§. 18. De missa et de sacra coena. . . . . 145
§. 19. De ecclesia et de vita ecclesiastica. . . . . 154
§. 20. De novissimis. . . . . 159

## Pars III. Methodus Cyrilli.

### Caput I. De catechizandi methodis in genere.

§. 21. De methodo patrum. . . . . 164
§. 22. De methodo nostra. . . . . 169

### Caput II. De Cyrilli methodo in specie.

§. 23. Methodi Cyrillianae descriptio. . . . . 175
§. 24. De Cyrilli methodo judicium. . . . . 181

Veram pietatem inter homines efflorescere non posse, nisi maxima in pueris juvenibusque ad fidem christianam adducendis opera consumatur, constat inter omnes. Hoc una voce omnes omnium temporum doctores ecclesiae professi sunt. Non Lutheri solum nostri sed multorum etiam et ante eum et post eum maxima cura fuit in moribus juventutis per pietatem emendandis posita. Atque his nostris temporibus tanta catechismorum aliorumque librorum catecheticorum multitudo quotannis emergit, ut de impensa in puerorum animis fide et pietate imbuendis cura nequeat dubitari. Tantus inde catechismorum numerus exstitit, quo nos nunc inundamur, ut vix majus militum agmen ex equo illo trojano potuerit prodire. Inter quos ferri opera cum doctrina tum pietate insignia, quis est, qui ignoret? Id vero equidem mihi semper persuasum habui, non a recentioribus solum sed a veteribus etiam in arte catechetica aliquid esse discendum, indeque ad veterum catecheticas scholas esse recedendum, ut quonam modo illi instruxerint juvenes intelligamus. Multa enim profecto, quae nunquam e recentiorum praeceptis atque doctrina percipi poterunt, ex illis cognoscuntur. Quae quum ita sint, Cyrilli Hierosolymitani Catecheseon, quae vetustissimum pretiosissimumque artis catecheticae in ecclesia christiana constituunt monumentum, indolem hac commentatione

tractandam mihi proposui, eam scribendi rationem secutus, ut parte prima de historia ecclesiae Hierosolymitanae atque Cyrilli dissererem; parte secunda Cyrilli doctrinam ante oculos ponerem; parte tertia quid fere de Cyrilli methodo judicandum esse videatur, exponerem.

---

# PARS I. HISTORIA CYRILLI.

## CAPUT I.

### Ecclesia Hierosolymitana inde a primordiis ad annum CCCXXXVI.

#### §. 1. Jacobus Justus, primus Hierosolymorum episcopus.

Hierosolyma incunabula ecclesiae sunt christianae. Primam enim omnium ecclesiam Hierosolymitanam conditam esse, disertis verbis Lucas docet in capite secundo Actorum Apostolorum. „Quum enim complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter „in eodem loco, et repleti sunt omnes Spiritu Sancto et coe„perunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui „illis.“ — „Et appositae sunt in die illa animae circiter tria „millia. Et gratiam habebat Ecclesia ad omnem plebem.“ — „Multitudinis enim credentium erat cor unum et anima una, „nec quisquam eorum, quae possidebat, quidquam suum esse „dicebat, sed erant iis omnia communia. Et virtute magna „reddebant apostoli testimonium resurrectionis Domini nostri Jesu „Christi, et gratia magna erat in omnibus illis.“

Stephanus protomartyr Hierosolymis caesus est, dicens: „Domine Jesu, suscipe spiritum meum.“ Martyrii hujus locum

ad orientem urbis hodie situm esse monachi contendunt, prope tramitem deducentem a porta Stephani, quam Arabes Bab-Sitti-Mirjam (portam Virginis Mariae) nuncupant, ad hortum Gethsemane, et postea ascendentem in montem Oliveti. Prioribus autem temporibus locus martyrii Stephani ad septentrionem urbis, haud procul a porta Damascena, ab Arabibus Bab-el-Amûd (porta columnae) appellata, indicabatur. Sed nihil ad rem nostram faciunt hae monachorum leves traditiones.

Id vero silentio non praetermittendum, quod omnes fere ecclesiae scriptores Jacobum primum Hierosolymorum episcopum fuisse dicunt. Nam licet nunquam persuadere mihi possim, episcopos a Domino ipso vel saltem ab apostolis esse constitutos eo sensu, quo credit ecclesia cum romana tum graeca: hoc tamen infitiari nequit, unum alterumque apostolum vel presbyterum primis jam ecclesiae temporibus insignem quendam locum obtinuisse, indeque a posteris episcopum fuisse appellatum. Haud levissimum sane gaudium mihi adfert, quod mecum consentire video praeceptorem meum doctissimum, amicum dilectissimum, Ricardum Rothe in libro: „Die Anfänge der christlichen Kirche“ p. 263—272. Neque profecto intelligo, quare nulla lis fides sit adhibenda, qui quendam Jacobum primum Hierosolymorum episcopum fuisse tradunt. Id potius quaeritur, quisnam Jacobus ille fuerit? Etenim Lucas in capite duodecimo Actorum narrat, Jacobum apostolum, fratrem Joannis, filium Zebedaei ab Herode Agrippa I. gladio interemtum esse, quod anno Domini 43. vel 44. contigisse videtur. Hunc igitur Jacobum primum Hierosolymorum episcopum non fuisse, consentaneum est. Alius autem Jacobus ter in Actis nominatur, quem patres inde ab Eusebio, quem ecclesia graeca in Oriente aeque atque ecclesia latina in Occidente episcopum Hierosolymitanum fuisse contendit. Loci illi Actorum sunt: XII, 17, ubi Petrus ab angelo e carcere eductus, eis qui januam aperuerant: „Nun-

ciate, inquit, Jacobo et fratribus haec.“ Tum XV, 13. narratur, Jacobum in concilio illo Hierosolymitano praesidis forsitan munere fungentem, de lege Mosaica non imponenda paganis orationem habuisse. Tertio loco XXI, 17 seqq. legimus, Paulum apostolum, quum Hierosolyma venisset, ad Jacobum introivisse, omnesque ibi collectos esse Presbyteros.

His Actorum locis collatis, Jacobum illum obtinuisse superiorem quendam locum in ecclesia Hierosolymitana dubitari vix potest. Unde quaestio exoritur, quis fuerit ille Jacobus? Quae quidem quaestio licet a multis iisque doctissimis viris in multis varii argumenti libris et dissertationibus sit examinata, adhuc non satis soluta atque expedita videtur. Occurrunt nimirum, filio Zebedaei omisso, ex plurimorum sententia duo insuper Jacobi in libris Novi Testamenti, Jacobus scilicet minor, Alphaei et Mariae filius — et Jacobus cognomine Justus, frater Domini nostri. Jacobus Alphaei ille minor unus duodecim apostolorum fuit, ut constat ex locis Matth. 10, 3., Marc. 3, 18., Luc. 6, 15., Act. 1, 13. Si fides adhibenda Nicephoro in historiae ecclesiasticae libro II, 40. hicce Jacobus, postquam in ea Palaestinae parte, quae ad meridiem et occidentem sita est, atque in Aegypto evangelium praedicaverat, in oppido Ostracine Aegypti inferioris crucifixus est. Pater ejus a tribus prioribus evangelistis „Alphaeus“ nuncupatur, quem eundem esse atque „Clopam“ evangelistae Joannis 19, 25. dubitare nequeo, quippe quum nomen aramaicum חַלְפַּי utroque scribendi modo reddi potuerit. Jacobi matrem, Clopae seu Alphaei uxorem, Mariam fuisse constat e Matth. 27, 56. et Marc. 15, 40. Hanc Mariam sororem Mariae matris Domini fuisse, Joannes dicit loco supra laudato 19, 25. Utrum Joannes consanguineitatem hîc intelligat utriusque Mariae an affinitatem, ut Eusebio videtur, haud facile sane dijudicandum. Eusebius enim hist. eccles. 3, 11. Clopam fratrem Josephi, patris ut arbitra-

bantur Jesu, fuisse dicit.*) Tum Maria Clopae non soror Mariae Virginis esset, sed affinis solum; uxor fratris mariti dicenda erit. Ego autem, quum plane non inveniam, ex quo fonte cum Eusebius tum Hegesippus illud tradiderit, persuasum mihi habeo, patrem historiae ecclesiasticae putasse, haud vero esse simile, duas sorores idem habuisse nomen, et hac solum de causa ab eo Clopam Josephi fratrem esse appellatum. Utcunque autem ea res se habet, Jacobum Alphaei vel patruelem vel consobrinum Domini fuisse constat. Haec de Jacobo Alphaei.

Jacobus autem Justus, Domini frater, non e numero duodecim apostolorum fuit. De hoc Matthäus loquitur 13, 55., Marcus 6, 3. et Paulus apostolus in epistola ad Gal. 1, 19. Hic auctor epistolae Jacobi catholicae in Novo Testamento est. Quis autem nobis dicet, utrum Jacobus ille, de quo Act. 12, 17.; 15, 13.; 21, 17. legimus, Jacobus Alphaei fuerit an Jacobus frater Domini cognomine Justus; quis nobis dicet, num forte uterque Jacobus, Alphaei scilicet et Justus sit unus idemque? Hoc patrum nonnullis placuisse videtur, Clementi Alexandrino imprimis et Eusebio in loco illo valde memorabili hist. eccl. 2, 1.**) A recentioribus multa in utramque partem dis-

---

*) Τὸν γὰρ οὖν Κλωπᾶν ἀδελφὸν τοῦ Ἰωσὴφ ὑπάρχειν Ἡγήσιππος ἱστορεῖ.

**) Locus ille ita se habet: Κλήμης ἐν ἕκτῳ τῶν Ὑποτυπώσεων γράφων φησί, Πέτρον καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ σωτῆρος, οἷς ὧν καὶ ὑπὸ τοῦ Κυρίου προτετιμημένους, μὴ ἐπιδικάζεσθαι δόξης, ἀλλ' Ἰάκωβον τὸν δίκαιον ἐπίσκοπον Ἱεροσολύμων ἑλέσθαι. Ὁ δ' αὐτὸς ἐν ἑβδόμῳ τῆς αὐτῆς Ὑποθέσεως ἔτι καὶ ταῦτα περὶ αὐτοῦ φησί· Ἰακώβῳ τῷ δικαίῳ καὶ Ἰωάννῃ καὶ Πέτρῳ μετὰ τὴν ἀνάστασιν παρέδωκε τὴν γνῶσιν ὁ Κύριος. Οὗτοι τοῖς λοιποῖς ἀποστόλοις παρέδωκαν ..... Δύο δὲ γεγόνασιν Ἰάκωβοι· εἷς ὁ δίκαιος, ὁ κατὰ τοῦ πτερυγίου βληθεὶς καὶ ὑπὸ κναφέως ξύλῳ πληγεὶς εἰς θάνατον, — ἕτερος δὲ ὁ καρατομηθείς. ..... Et paullo ante: ..... Ἰάκωβόν τὸν τοῦ Κυρίου λεγόμενον ἀδελφόν, ὅτι δὴ καὶ οὗτος τοῦ Ἰωσὴφ ὠνόμαστο παῖς (τοῦ δὲ Χριστοῦ πατὴρ ὁ Ἰωσήφ) ..... τοῦτον δὴ οὖν αὐτὸν Ἰάκωβον ὃν καὶ δίκαιον οἱ πάλαι ..... ἐκάλουν, πρῶτον ἱστοροῦσι τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις ἐκκλησίας τὸν τῆς ἐπισκοπῆς ἐγχειρισθῆναι θρόνον.

putata sunt, ut a V. D. Neander in libro: „Die Pflanzung und Leitung der christlichen Kirche durch die Apostel“ vol. 2, 422 seqq. a Dewette (Einleitung in das Neue Testament, p. 304) a Berthold (Einleitung, V. p. 2639 seqq.) a Guericke (Beiträge zur Einleitung ins Neue Testament p. 156 seqq. et Einleitung ins Neue Testament p. 483 seqq.) et a multis aliis. Quum autem a proposito nostro alienum sit, hanc quaestionem fusius exponere, neque omnino mihi fieri posse videatur, ut rationibus plane non refutandis una sententia fulciatur, altera refellatur: nolim pluribus de hac re disserere. Hoc tantum addere mihi liceat; Jacobum Alphaei episcopum Hierosolymorum fuisse si quis contendat, negans Jacobum Justum et ipsum episcopum fuisse; obloquuntur omnes iique antiquissimi scriptores, qui episcopum Hierosolymitanum Jacobum Justum fuisse una voce testati sunt. Quare hoc mihi tenendum esse videtur, aut Jacobum Justum, fratrem Domini episcopum fuisse, Jacobum Alphaei autem non, ita ut episcopus ille non fuerit e numero duodecim apostolorum, ut dicit Eusebius 2, 23.*) cf. 1, 12.**) — aut Jacobum Justum et Jacobum Alphaei non duos esse sed unum eundemque. Hoc significare videntur Clemens Alexandrinus et Eusebius loco supra laudato hist. eccl. 2, 1. Hoc quoque ipsis nostris temporibus ecclesiae graecae Hierosolymis placere videtur, ubi saepissime equidem Patriarcham Hierosolymitanum graecum audivi appellari: „successorem Jacobi apostoli et fratris Dei.“

---

*) Hoc loco legitur: Ἰάκωβος ὁ τοῦ Κυρίου ἀδελφός, ᾧ πρὸς τῶν ἀποστόλων ὁ τῆς ἐπισκοπῆς τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις ἐγκεχείριστο θρόνος. Tum, Hegesippum laudans dicentem in quinto Ὑπομνήματι: Διαδέχεται δὲ τὴν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν ἀποστόλων ὁ ἀδελφὸς τοῦ Κυρίου Ἰάκωβος, ὁ ὀνομασθεὶς ὑπὸ πάντων δίκαιος.

**) Εἷς δὲ καὶ Ἰάκωβος τῶν φερομένων τοῦ σωτῆρος μαθητῶν, ἀλλὰ μὴν καὶ ἀπελφῶν ἦν. Hoc loco nimirum de septuaginta Domini discipulis Eusebius loquitur, iisque Jacobum adnumerat.

Pauca tantum de vita Jacobi Justi commemoranda habeo. Audiamus, quae Hegesippus nobis enarrat teste Eusebio 2, 23. Fuit ille Jacobus sanctus ab utero matris. Vinum et siceram nunquam bibit, animantium carnem nunquam edit, novacula caput ejus nunquam tetigit. Neque oleo neque balneo unquam usus est. Ei soli sanctuarium adire licuit, quia nunquam lanea sed lintea tantum veste utebatur. Solus ille templum intravit, ubi viderunt eum homines flexis genibus pro remissione peccatorum populi precantem. Quo factum est, ut genua ejus instar cameli obcalluerint, quia semper in precando genua flexit, vota faciens pro populi salute. Propter eximiam hanc justitiam cognomen accepit Justi et Ὠβλίας, quod Hegesippo interprete est „munimentum populi.“ Neander conjecit in libro supra laudato, vocem Ὠβλίας hebraicum עֹפֶל עַם vel עֹז לְעַם esse. Haec Hegesippus. Quae num vera omnia sint, equidem valde dubito. Verba Hegesippi nonne ebioniticum olent sensum? Nonne fieri potuit, ut Ebionitae Jacobum fabulosa quadam justitia ornarent? Itaque Hegesippus ab historica veritate aberrasse nobis videtur, quippe qui hujusmodi ebioniticam indolem in Jacobi epistola indagare plane non possimus. Id vero, quod omnes agnoscunt, nos sane minime negamus, epistolae scilicet illius Jacobeae indolem ita esse comparatam, ut quasi transitum paret e Vetere Testamento in Novum. Nec sane mirandum est, hujusmodi indolem inprimis placuisse Christianis e Judaeorum gente in fidem adductis. Paulus, gentilium apostolus, fidem christianam plane novam inter homines creationem esse demonstrat; Jacobus autem ostendit, organico quasi modo novam hanc creationem cum patrum fide cohaerere. Ac verisimile est, ecclesiam Hierosolymitanam inde ab initio usque ad seditionem Bar-Cochbae et Aeliam Capitolinam conditam maxime judaico-christianam fuisse. Quare nostris temporibus viri illi Oxonienses, Doctoris Pusey asseclae, judaico-christianum sensum

inter ipsos Hierosolymitanos foventes, antiquitatem certe ad suam sententiam tuendam afferre possunt. Notum est, primum anglicum episcopum Hierosolymitanum, Alexandrum nimirum Wolf, e circumcisione fuisse, et licet ipse non fuerit Puseyita, tamen eorum qui cum eo erant nonnulli hunc sentiendi modum sequebantur. E quorum numero erat episcopi capellanus, doctissimus Georgius Williams, auctor libri omni laude digni, lingua anglica conscripti, cui titulus: „The holy City.“ Nec sane mirandum, quod hujus ingenii viris non omnia placere possunt quae facit Alexandri successor, vir cum doctrina singulari tum pietate eximia insignis, reverendissimus Samuel Gobat. Hunc enim ab omni Judaismi genere procul abesse scimus, unde fit, ut non raro varii generis dissensiones intercedant inter episcopum atque viros illos Puseyitas.

Sed ad Jacobum Justum revertamur, ut audiamus, quae de ejus martyrio nobis narrantur ab Eusebio in historiae ecclesiasticae libro 2, c. 23. Judaeorum enim permulti quum in Christum crederent Jacobi testimonio adducti, Scribae et Pharisaei Justum adierunt jubentes eum die Paschatis coram omni populo fidem in Christum abnegare. Ille autem in fastigio templi collocatus Jesum esse Christum, Dei filium unigenitum, sedentem ad dextram patris, magna fiducia altáque voce profitetur. Quo facto e templi fastigio eum dejecerunt dicentes: Lapidemus Justum. Hic vero praecipitatus flexis genibus oravit: „Domine et Deus pater, ignoscas eis quia nesciunt quae faciunt.“ Illi autem lapidibus eum petere coeperunt, et fullo quidam occurrens arrepto fuste, quo vestes exprimere solebat, caput Jacobi percussit.

Ut autem Hegesippi narratio de Jacobi vita, quam supra memoravimus, mythica nobis visa est, ita etiam maxime dubitamus, num vera sit narratio ejusdem auctoris de Justi martyrio. Quis enim facile credat, Jacobum eumque Justum in

fastigio templi collocatum esse a Judaeis sperantibus fore, ut publice hîc fidem abnegaret? Nonne hoc commentis istis simile est, quae in apocryphis evangeliis, quae in vitis Sanctorum ecclesiae romanae leguntur? Equidem negare nequeo, multo credibiliorem mihi videri narrationem Josephi, quae exstat in libro vicesimo Antiquitatum, et ita se habet: Ananus, vir maxime temerarius et audax, pontifex maximus tum temporis fuit. Festo, Judaeae procuratore defuncto Caesar Albinum in Judaeam misit. Qui antequam advenit, nullo igitur romano procuratore praesente, Ananus synedrium convocavit et Jacobum capitis damnavit, lapidandumque eum tradidit plebi.

De anno, quo interfectus est Jacobus, haud prorsus constat. Loco enim supra laudato Eusebius, quocum Josephus consentire videtur, Jacobum trucidatum esse dicit eo anno, quo mortuus sit Festus, Anano pontifice. Hic est annus septimus Neronis imperatoris sive annus sexagesimus secundus post Christum natum. Libro autem III, c. 9. idem Eusebius, statim post mortem Jacobi Hierosolyma capta esse ait,*) anno igitur primo Vespasiani sive sexagesimo nono post Christum natum. Sed hoc non verisimile esse infra demonstrabimus. Id potius, ut mihi quidem videtur, pro certo haberi poterit, Jacobum mortuum esse septem vel octo annis ante Hierosolymorum expugnationem per Titum.

## §. 2. Ecclesia Hierosolymitana in asylo Pellensi.

Suavissime alter ille Apelles, clarissimus Caulbach noster, in novo Museo Berolinensi exodum Christianorum ex urbe Jerusalem in tabula picta ante oculos nobis ita posuit, ut arti-

---

*) Μετὰ τὴν Ἰακώβου μαρτυρίαν καὶ τὴν αὐτίκα γενομένην ἅλωσιν τῆς Ἱερουσαλήμ κ. τ. λ.

ficem scriptorum fide niti pateat. Etenim hi omnes una voce testantur, Christianos ante oppugnationem ex Urbe fugisse. Historiam infelicissimae illius Urbis haud repetamus. Notissima illa est, nec ad Josephi narrationem novi quidquam addi posse constat. Paucis ego tum oppugnationem tum devastationem Hierosolymorum adumbravi in libello lingua vernacula conscripto: Skizzen aus einer Reise in das heilige Land p. 24 sqq. Hoc tantum paucis hic commemorare mihi liceat: Obsidio die XI. Aprilis incepit. Die decimo quinto obsidionis prima moenia — ea quae tertia nos appellare solemus — capta sunt, atque post quinque dies quoque secunda. Junio mense ineunte aggere Urbem circumdederunt Romani, quo facto fames saevire coepit in miserrimos illos Judaeos. Ineunte Julio arx Antonia noctu a Romanis capta est, et decimo septimo ejusdem mensis quotidianum sacrificium cessavit. Decimo Augusti templum incendio consumtum est, et inferiore Urbis parte diebus sequentibus diremta, Titus vicesimo mensis Augusti superiorem Urbis partem aggressus est. Octavo die Septembris tota superior Urbs in monte Sion sita, est expugnata atque conflagrata.

Jam duae quae ad Christianorum asylum pertinent examinandae offeruntur quaestiones, prima: ubinam sita fuerit illa Pella? secunda: quamdiu illic Christiani commorati sint, quando Hierosolyma reversi?

Quod ad primam quaestionem attinet, difficile est, de Pellae situ accuratius quidquam definire, quum neque in Vetere neque in Novo Testamento hoc nomen occurrat. Primus qui de hoc oppido loquitur, quantum scio, Josephus est, Bell. jud. III, 3, 3.*)

---

*) Peraeae situm describens haec dicit: Μῆκος μὲν οὖν Περαίας ἀπὸ Μαχαιροῦντος εἰς Πέλλαν, εὖρος δὲ ἀπὸ Φιλαδελφείας μέχρις Ἰορδάνου. Καὶ Πέλλη μὲν ᾗ προσφήκαμεν τὰ πρὸς ἄρκτον ὁρίζεται, τὰ πρὸς ἑσπέραν δὲ Ἰορδάνη, μεσημβρινὸν δὲ αὐτῆς πέρας ἡ Μωαβῖτις, καὶ πρὸς ἀνατολὴν Ἀραβίᾳ τε καὶ Σιλβωνίτιδι, πρὸς δὲ Φιλαδελφηνῇ καὶ Γεράσοις ἀποτέμνεται.

(ed. Dindorf. tom. II, p. 148.). Archaeol. XIII, 15, 4.*) (tom. I, 518.) et XIV, 4, 4.**) (tom. I, 531.). Iis, quae de Pellae situ e Josepho colligere possumus, Plinius accedit in Historia Naturali V, 16. dicens, Pellam oppidum Decapoleos esse, itemque Ptolemaeus V, 12. qui Pellam quinque milliaria a Scythopoli euronotum versus sitam esse dicit. Eusebius nil habet de situ hujus oppidi nisi hoc: „Fideles per revelationem ante bellum ex urbe migrare jussi sunt et oppidum quoddam Peraeae incolere, cui Pellae erat nomen.“ Quum mihi terram sanctam perlustranti haud licuerit Peraeam invisere, non meum sed aliorum tantum judicium sequi possum. Quum autem ea quae modo laudavi antiquitatis testimonia satis perspicua sint, nullus dubito, quin in septentrionali Peraeae parte hoc oppidum sit investigandum. Inventae sunt satis magni cujusdam oppidi ruinae haud procul a Jordano fluvio, Arabibus „Tubakât-Fuhîl“ nominatae, quas Pellae illius situm indicare opinatur Williams. Quum ego, e Samaria in Galilaeam proficiscens, planitiem Jesreel intrarem, ad dextram montes Gilboae vidi, quorum in orientali declivitate vicus quidam situs est, cui „Beisân“ nomen. Beisân sine dubio Bethsean Veteris Testamenti est, quae Scythopolis post exilium babylonicum appellabatur, et sub hoc nomine saepe occurrit in Josepho atque in historiae ecclesiasticae scriptoribus. Ad hunc usque diem Scythopoleos episcopus titularis in magno Graecorum monasterio Hierosolymis residet. Circiter e regione hujus vici Beisan paullo magis ad meridiem ruinae Tubakat-Fuhil sitae sunt. Haec fere omnia sunt, quae de Pellae situ exponi possunt. Unde facile videmus, eam quam exposui sententiam argumentis haud contemnendis posse fulciri,

---

*) Hoc loco narrat, Judaeos temporibus Alexandri Jannaei Pellam devastasse ideo quod ejus incolae polliceri noluerint, se ad ritus Judaeos esse transituros.

**) Hic dicit Josephus, Pellam a Pompejo Judaeis ereptam esse.

sed hoc libenter confiteor, rationibus certis probari non posse, Tubakat-Fuhil esse veterem Pellam.

Nec sane facilius est, quidquam de tempore exilii Pellensis definire, quippe quum quo anno illud inceperit, nusquam ab Eusebio sit commemoratum. Sed, historiam explorantes, inveniemus forsitan temporis spatium, quod maxime opportunum exodo illi esse conjicere liceat. Notum est, bellum judaicum incepisse Nerone Caesare, Cestio Gallo Syriae praefecto, Gessio Floro Albini successore Palaestinae procuratore, anno sexagesimo quinto et sexto post Christum natum. Gessii Flori maxima crudelitate vexatus populus tandem ad apertam seditionem pervenit. Hoc tempore duas jam Hierosolymis invenimus partes, alteram zelotarum duce Eleasaro filio Ananiae pontificis maximi; alteram moderatam et pacis amantem duce Herode Agrippa. Quod autem publicarum perturbationum temporibus plerumque fieri solet, id Hierosolymis quoque factum est: zelotae victoriam reportarunt de pacis amantibus. Agrippa, urbe relicta, Cestium adiit, qui cum exercitu in Scopo illo notissimo castra posuit. Urbe nova et inferiori capta, Antoniam et Moriae montem oppugnaverunt Romani. Quum autem de victoria desperantes Hierosolymorum cives in eo jam essent, ut Cestio portas aperirent, ille subito, quasi panico perculsus terrore, sine ulla visibili causa in Scopum recessit et obsidionem solvit. De hac re tamquam maxime mirabili loquitur Josephus in bello judaico II, 19, 7.*) Hoc A. D. sexagesimo septimo accidisse videtur. Anno sequenti Vespasianus in Palaestinam missus est, qui a legionibus suis imperator electus Romam rediit ante Hierosolymorum obsidionem. Vespasiani filius Titus ut supra diximus, ineunte vere anni LXX. urbem oppugnare coepit. Facile igitur

---

*) ..... ἐξαίφνης ..... καταγνοὺς ἐπ' οὐδεμίᾳ πληγῇ τῶν ἐλπίδων, παραλογώτατα ἀπὸ τῆς πόλεως ἀνέζευξεν.

intellectu est, neminem ex urbe effugere potuisse post coeptam obsidionem.

Quin jam ante obsidiones ii, penes quos summa potestas Hierosolymis erat, maxima severitate impedire conati sunt, quominus quisquam incolarum ex urbe migraret, quod Josephus saepissime repetit.*) Quae quum ita sint, credendum est, ultimum temporis spatium, quo non singulis sed toti Christianorum ecclesiae ex urbe migrare licuerit, fuisse post Cestii Galli obsidionem. Hunc enim Judaeorum exercitus acriter persecutus est, et absente exercitu facile facultas emigrandi potuit obtineri. Quare non serius quam statim post Cestii reditum Christiani urbem dereliquisse videntur, hoc est anno Domini 67 vel 68.

At, mihi dicat quis, forsitan jam ante Cestii obsidionem Christiani Pellam migraverant. Concedo, sed non verisimile mihi videtur, quia tum temporis de tanto urbis periculo nondum cogitatum est. Quodsi re vera ante hanc obsidionem Christiani urbem reliquissent, haud in magno discrimine hoc ponere possumus, quippe quum brevissima fuisset Cestii obsidio. Quare non errare mihi videor, Christianos anno sexagesimo octavo Pellam migrasse existimans.

Quamdiu autem in asylo illo commorati sunt? Si quae rerum scriptoribus fides est habenda, non diutius certe illic remanserunt quam extrema necessitas cogebat. Omnes enim testantur, Christianos mox post vastationem reversos esse. Epiphanius dicit in libro „de ponderibus et mensuris“ c. 13. 14. Hadrianum imperatorem, quum Hierosolyma visitaret, in monte Sion templum et domicilia Christianorum invenisse. Unde elucet Christianos non Pellae mansisse usque ad id tempus, quo nova

---

*) cf. bell. jud. IV, 6, 3. ed. Dind. II, 208.
„ „ 7, 3. „ „ 210.
„ „ 9, 1. 10. „ „ 215. 220.

urbs Aelia Capitolina fuerit condita, sed potius eo tempore jam rediisse, quo ruinis adhuc obrutae essent montes Jerusalem. Laudat C. E. Deyling in dissertatione de Aeliae origine et historia p. 459. Petavium in notis ad Epiphanium: „Paulatim accidit, ut partim Judaei partim Christiani sive in superstite illa urbis parte sive propinquo aliquo loco domicilia collocarint. Quae omnia cum veteribus Hierosolymorum reliquiis Adrianus demolitus est ac novam e fundamentis urbem exstruxit.“ Quae quum ita sint, non video quid impedire nos possit, quominus credamus Eusebio dicenti, statim post expugnationem Christianos rediisse. Quibus de causis majus temporis spatium exilium Pellense non obtinuisse credo quam trium vel quatuor annorum.

Quanta autem tristitia, quanto luctu hoc tempore credas commoti fuerint qui amabant Hierosolyma? Nil videbant in urbe nisi ruinas. „Jerusalem facta erat altera Sodoma et Gomorrha. Filia Sion derelicta erat ut umbraculum in vinea et sicut tugurium in cucumerario. Omne caput languidum et omne cor mörens. Terra deserta, civitates succensae igni; regionem alieni devorabant et desolata erat sicut in vastitate hostili.“ De hoc sexaginta circiter annorum spatio inde a reditu Christianorum usque ad annum Domini 130. nihil fere historia nobis narrat. Episcoporum seriem Eusebius enumerat, ego autem non possum quin confitear, multa in hac enumeratione fabulosa mihi videri. Jacobi successorem Simeonem Clopae seu Alphaei filium electum fuisse dicit, sed magis cordi ei fuisse videtur successionem episcopalem nominibus fulcire quam historicam veritatem indagare. Quid, quod Josephus, ut supra commemoravimus, narrat Jacobum mortuum esse anno Domini 62. idque optime convenit cum iis, quae de exodo Christianorum modo exposuimus; Eusebius autem, ne lacuna intercederet inter primum episcopum atque secundum, lib. III, 9. sibi ipsi

contradicens, Jacobum statim ante expugnationem mortuum esse contendit. Et quod attinet ad Hegesippi auctoritatem, qua nititur Eusebius, supra jam vidimus, non omnia ab illo narrata pro veris a nobis accipi posse. Quare silentio praetereamus ea, quae leguntur de Simeonis martyrio, de Justi episcopatu atque de ejus successoribus. Etenim equidem nihil tribuo apostolicae episcoporum successioni, nec pluris facio ipsum episcopatum. Quare omnia illa levissima mihi esse videntur.

## §. 3. Ecclesia Aeliae Capitolinae.

Sexaginta fere annis elapsis Hadrianus imperator de restauranda urbe cogitasse videtur. Neque vero urbem sanctam Judaeis reddere voluit, sed potius coloniam romanam condere in animo habuit, ut milites romani castellum ibi haberent bene munitum. Sed hoc ipso tempore, anno Domini 131. ultima Judaeorum seditio non in Palaestina solum sed per totum orbem terrarum maxima cum vehementia erupit. Judaeorum ducem Bar-Cochbam illum fuisse, jam supra memoravimus. Per tres annos tristissimum illud bellum terram infelicem vastavit, et quum Bar-Cochba mortuo Judaei Hierosolyma relinquere coacti essent, per alterum triennium Rufo Bar-Cochbae filio duce in oppido illo munitissimo Bether prope Jerusalem Romanis restiterunt. Bithera autem capta maxima severitate in Judaeos usi sunt victores. Permulti eorum caesi, plures in servitutem abducti, nec cuiquam Judaeorum Hierosolyma intrare, nedum videre licuit urbem Davidis, quippe quum ab omnibus illis montibus, e quibus urbs conspici potest, infelices arcerentur. Nomen ipsum Jerusalem oblivioni traditum.

Aelia Capitolina nova illa urbs est appellata, annout videtur 136. condita. Ecquis qui Hierosolyma viderat, Aeliam eandem

esse urbem divinare potuisset?*) Aliam non praebuit Aelia formam atque omnes Romanorum urbes. Magnificas ibi videbas domos romanae luxuriei adaptatas, theatrum ethnicum, alia ejusmodi publica aedificia; quin ipsa idolorum templa Aeliae exstruebantur. Jovis Capitolini templum in monte Moria esse exstructum, Dio Cassius narrat hist. rom. 69, 15., quod Hieronymus adhuc se vidisse testatur.**) Atque nummus Hadriani exstat, hoc templum exhibens cum inscriptione COL. AEL. CAP.***) Veneris fanum super sepulcrum Domini ab impiis hominibus esse aedificatum, Eusebius prodit in vita Constantini III, 26.

De templo Jovis pluribus disserere non opus est. Veneris autem templum hac de causa nostra interest, quia in disputationibus de Golgathae situ nuper exortis saepe ad hoc provocatum est. Nam si verum est, Hadrianum illic templum exstruxisse, dubitari sane nequit, quin is locus, quem hodie demonstrant, vera sit Golgatha. Sed id ipsum mihi quaerendum esse video, num Hadrianus Veneris templum Aeliae exstruxerit: quod si concesseris, altera exoritur quaestio, num prope Golgatham hoc templum condiderit?

Ad prius illud facile respondere licet, quum nummus romanus reservatus sit, exhibens caput Antonini Pii imperatoris laureatum cum inscriptione „ANTONINUS. AUG. PIUS. P. P. TR. P. COS. III.“ et in parte reversa templum tetrastylon cum simulacro Veneris et subscriptis notis „C. A. C.“ quibus significatur „Colonia Aelia Capitolina“, quod alii nummi luce cla-

---

*) cf. C. E. Deyling dissertatio de Aeliae Capitolinae origine et historia §. 19. p. 474 seqq. in tomo quinto observationum Abrahami Deyling.

**) Hieron. in Jesaiae c. 2, 8. in Matth. 21, 15.

***) Williams holy city II, 415. Krafft, Topographie Jerusalems, p. 223 et 227.

rius demonstrant, exhibentes praeter nomen et caput Hadriani in parte reversa inscriptionem COL. AEL. CAP. et templum Jovis Capitolini, in quo adstantibus Pallade et Urbis genio sedet ille, in cujus honorem Hadrianus templum aedificari jussit.*) Itaque licet aliis testimoniis non constet, utrum Hadrianus ipse templum Veneris Hierosolymis exstruxerit an alius quis, nullo tamen modo dubitari potest, quin omnino hujusmodi templum Aeliae exstiterit.

Quod vero ad alteram quaestionem attinet, utrum Veneris templum prope Golgatham steterit an alio Urbis loco, Eusebius primus dixit, Sepulcro dominico illud templum fuisse superstructum, cui scriptori quamquam non semper neque in omnibus esse credendum neminem fugit, tamen cur hac in re fidem deregemus, nullam profecto video causam. Quare ad alteram quaestionem ita respondeo: Quum antiquissimus qui exstat testis de templo Veneris Golgathae superstructo loquatur, neque ullae rationes ad eum refellendum inveniri queant, verisimile saltem est, rem ita se habere, ut testis ille tradidit.

Hierosolyma erant deleta. Aelia non fuit Urbs Davidis, Urbs Domini, sed colonia romana. Omnia aliam praebuerunt speciem. Omnia? minime gentium. Ea quae ab hominibus erant exstructa, deleri poterant, sed quae a Deo erant creata, minime. Montes Sion remanent in aeternum. Neque sane ulla alia Urbs ejusmodi characterem indelebilem, ut ita dicam, impressum mihi praebere videtur atque Hierosolyma.

Templum deletum est, sed Moriae mons idem est ac fuit temporibus Abrahami immolantis filium suum unigenitum, ac fuit temporibus Araunae Jebusitae et Salomonis. Arx Davidis cor-

---

*) cf. Deyling l. l. p. 478. 473. 474. Williams l. l. vol. I. p. 240. 241. vol. II. 71. 128. 415. ubi imagines horum nummorum inveniuntur.

ruit, sed Sion idem est ac fuit illis temporibus, quum resonaverit psalterio regis prophetae. Arbores caedi potuerunt, sed mons Oliveti idem est ac fuit, quum Dominus noster cum discipulis eum ascenderit. Hierosolymorum non lapis super lapidem remansit; Aeliae palatia, templa, theatra nulla adhuc inveniuntur, plane alia urbs est Arabum „El-Kuds", sed si biblia in manibus tenens vicos perlustras, colles ascendis, valles peragis: dubitare nequis de situ Urbis Davidis et filii ejus, Domini nostri.

Sed nimium diu forsitan jam hac in re commorati sumus. Ignoscas velim ei, cui contigit oculis videre montes Jerusalem, pedibus stare in portis Jerusalem, evangelium ejus, qui crucifixus est et resurrexit, praedicare in Sion.

Ad ecclesiam christianam jam revertamur, qualis Aeliae temporibus fuit. Ut supra jam monui, ecclesia Hierosolymitana e numero judaico-christianarum fuit. Quare facile fieri potuit, ut Christiani a Romanis pro secta quadam judaica haberentur, iisdem quibus Judaei legibus coercenda. Verisimile est, Judaeis omnibus expulsis, non licuisse Christianis Aeliae remanere, nisi prius, depositis ritibus judaicis, a Judaeorum communione sese separassent et palam ostendissent, nihil sibi consuetudinis esse cum illis.*) Hanc nostram sententiam comprobant, quae legimus apud Eusebium hist. eccl. IV, 6. in fine: „Καὶ δὴ τῆς αὐτόθι ἐκκλησίας ἐξ ἐθνῶν συγκροτηθείσης, πρῶτος μετὰ τοὺς ἐκ περιτομῆς ἐπισκόπους τὴν τῶν ἐθνῶν λειτουργίαν ἐγχειρίζεται Μάρκος." Cui adsentit Sulpicius Severus in hist. sacr. lib. II. dicens: „Christiani ex Judaeis pedissimum putabantur, namque tum Hierosolymae non nisi ex circumcisione habebat ecclesia sacerdotem. ..... Tum primus Marcus ex gentibus apud Hierosolymam episcopus fuit." Quare ut urbs plane alia his temporibus facta est, ita etiam ecclesia christiana alia

*) cf. Deyling l. l. pag. 481. 482.

facta esse videtur. Quae inde a primordiis judaico-christiana fuerat, in ethnico-christianam nunc est conversa. Videsne hic „altitudinem divitiarum sapientiae et scientiae Dei?“ Videsne hic „incomprehensabilia ejus judicia et investigabiles ejus vias?“ Funditus evertenda erat Jerusalem illa terrestris, ut Jerusalem quae sursum est, quae libera est, posset aedificari; idolorum templa in sanctis illis montibus exstruenda erant, ut templum illud sanctum crescere posset, in quo coaedificantur in habitaculum Dei in spiritu, qui justificantur per fidem sine operibus legis.

Multa nobis narrantur de Marci in episcopatu Aeliensi successoribus, de Narcisso et Alexandro, de Mazebene et Hymenaeo, quae omnia, quum a proposito meo sint aliena, praetereunda putavi. Omissis insuper, quae de tempore persecutionis Diocletiani repeti possint, ad Constantini tempora jam pergamus.

## §. 4. Ecclesia Hierosolymitana Constantini Magni temporibus.

Nostri officii non est, de Constantini conversione, deque omnibus iis, quibus cumulavit clerum beneficiis disserere, nec magis nostri est, eas repetere laudes, quibus Eusebius ornavit imperatorem. Nos de iis tantum loquamur, quae Constantinus pro ecclesia Hierosolymitana fecit. Sed de his ipsis rebus vehementissime his nostris „criticis“ ut dicunt, temporibus disputatum est inter viros doctos. Narrationem Eusebii non in omnibus consentire cum iis, quae Socrates et Sozomenus prodiderunt, nemo nescit. Sed tanti momenti hae diversitates mihi non esse videntur, ut nulla prorsus fides scriptoribus illis tribui possit. Temerarium et audax mihi videtur judicium, quod protulit Dr. Robinson in libro notissimo: „Biblical researches“,

cujus sententia quamquam eo potissimum nititur, quod loca illa Hierosolymis oculis perlustravit, indeque majoris momenti sane illius judicium est, quam virorum nonnullorum doctorum, qui in cubiculis suis libros de Hierosolymis conscripserunt: tamen equidem non possum quin iis assentiam, quae doctissimus Williams de hac re disseruit in libro supra laudato vol. I. pag. 234 seqq. Etenim Williams et ipse multos annos Hierosolymis degit, multaque vidit, multa examinavit, quae Robinson examinare non potuit. Quae Robinson vidit, ea et ego vidi meis ipsius oculis, quare ejus auctoritas tanta mihi non est, ut contradicere ei non audeam. Imo ex eo ipso tempore, quo Hierosolyma adii, quo loca illa sacra visitavi, judicium ejus justo audacius et temerarium mihi videtur. Sed haec hactenus.

Disserendum jam nobis est de ecclesia, quam Constantinus in loco resurrectionis dominicae aedificari jussit. Eusebii de hac re narratio in libro tertio vitae Constantini exstat, quam hoc loco sequamur, ea tantum ex aliis scriptoribus subjungentes, quae ille omisit. Cordi fuit Imperatori locum resurrectionis Domini Hierosolymis illustrem et venerabilem efficere cunctis mortalibus. Locus autem ille jamdudum humo superinjecta et ruderibus obrutus erat. Impios homines hoc perpetrasse dicit Eusebius, ut abolerent omnem Salvatoris memoriam. Supra illud solum fanum Veneris exstruxerant, ut p. 18. jam dixi. Diruto hoc templo humus sepulcro dominico superinjecta altissime effossa et longissime exportata est. Quo facto monumentum resurrectionis refulsit, et spelunca illa, sepulcrum scilicet Domini, rursus in lucem prodiit. Hoc quum Imperatori nuntiatum esset, litteras dedit ad Macarium Hierosolymitanum episcopum, de exstruenda Basilica eum certiorem facientes. Quas litteras fortasse Helena Imperatoris mater Hierosolymam adportavit. Quamvis enim Eusebius, non matris sed filii vitam scribens, Helenae mentionem hoc loco non fecerit, dubitari tamen nequit,

quin Helena hoc tempore Hierosolymam sit profecta, diutius ibi commoratura, teste ipso Eusebio l. l. cap. 42 seqq., testibus omnibus aliis rerum scriptoribus. Haec omnia ceterum anno post concilium Nicaenum primum facta esse constat, anno igitur Domini 326. Antequam de Basilica Constantini loquar, paucis de loco illo resurrectionis sententiam meam exponere liceat. Hoc ante omnia observandum mihi esse videtur, quod nullibi de investigatione Sepulcri dominici quidquam traditur, sed ubique de retectione loci obruti quidem, sed nullo modo incogniti. Sepulcrum non detectum sed retectum esse dicit Eusebius. Itaque ex Eusebii sententia locus passionis Domini ex hominum memoria non exciderat, sed inter omnes constitit, sacrum Sepulcrum sub templo Veneris esse absconditum. Constantinus in epistola ad Macarium (l. l. cap. 30.) non illud miratur, quod post multos annos, post multas indagationes locus ille sit detectus, sed id potius, quod antrum non fuisset deletum ab impiis illis hominibus. Difficile sane creditu est, Christianos hujus loci tam celeriter oblitos fuisse. Quando enim illius memoria potuit extingui? Num ante exilium Pellense? Minime, tum enim multos adhuc superstites fuisse oportuit, qui tempore mortis Domini jam Hierosolymis degerant. Num temporibus illius exilii? Sed nimis breve spatium triennii aut lustri ad summum est, quam ut talis loci oblivisci potuissent Christiani. At mihi dicat quis, quod tu quidem contendis, Christanos paucos post annos Hierosolymam rediisse, id minus certum videtur, quum alii eos negent rediisse ante bellum judaicum secundum, circa annum 136. Audio, sed duo mihi ad manum sunt tela, quibus oppugnare posse adversarios mihi videor. Primum hoc est: Ponamus nullum Christianum unquam Hierosolymam adiisse inde ab anno 68. usque ad annum 136., quod est annorum sexaginta octo spatium. Jam si mihi concedas, vere esse simile, nonnullos ad minimum eorum, qui Urbem de-

reliquerant anno 68., adhuc superstites esse potuisse anno 136: id quoque erit concedendum, eos narrasse juvenibus de loco passionis et resurrectionis Domini. Sed nullo modo equidem concedere possum, per hoc temporis spatium nullum Christianum Hierosolymis fuisse. Et hoc alterum argumentum est. Obstat nimirum testimonium illud, quod e Deylingii dissertatione supra laudavi, obstat testimonium Epiphanii in libro de ponderibus et mensuris, quod §. 2 ante oculos tibi posui. Pars ecclesiae forsitan Pellae remansit, sed partem saltem Hierosolymam mox redisse constat. Quare fieri plane non potuit, ut in oblivionem veniret memoria locorum illorum sacrosanctorum ante Constantini tempora. Habes hic argumentum idque haud sane leve neque infirmum pro vera sede sancti Sepulcri. Nemo ad hunc usque diem hoc argumentum refutavit, neque Robinson neque caterva, quae eum secuta est. Haec paucis hoc loco monere voluì. Plura non adjiciam de veritate Sepulcri, quippe quum omnia, quae de hac re dicenda sunt, fusius sint exposita tum a Williams in libro: „the holy City", tam a me in libro: „Skizzen aus einer Reise in das heilige Land." Restat, ut de loco, qualis fuerit temporibus Constantini, pauca quaedam addam.

Locum illum ad occidentem muri secundi situm esse scimus. A muro leniter terra ascendit per spatium centum et quinquaginta vel septuaginta circiter pedum. Versus occidentem parvus hic collis rupe terminatur praerupta, parietem formante circiter viginti quinque pedes altum. Videmus hanc rupem ad hodiernum usque diem in sacello Adami, quod est sub sacello Crucifixionis. Gradus ad locum Crucifixionis adducentes insculpti sunt in hanc rupem. Hic colle est locus cranii sive Golgatha. Ad radices sani parva sita est planities, centum vel centum et decem pedes longa, quae pars orientalis horti Josephi fuisse videtur. Terminatur haec planities in occidentem altera rupe, in quam antrum Sepulcri erat insculptum. Altitudinem hujus rupis

definire nequimus, quia, ut statim exponam, per Constantini architectos rupes illa occidentalis subversa est. Sita igitur est inter rupem Golgathae et rupem Sepulcri parva quaedam vallis, circiter centum et decem pedes longa. Haec vallis, pars orientalis horti Josephi, humo expleta fuit per impios homines, ita quidem ut neque Golgathae neque Sepulcri rupem videre licuerit. Hanc vallem effodiendam curavit Constantinus, quo facto rupes Sepulcri in lucem prodiit.

Haec de loco monenda putavi. Jam audiamus, quae de Constantini Basilica nobis narrantur (l. l. cap. 33—39). Primum sacram speluncam exornavit Imperator, eo quidem modo, ut rupem subverteret et Sepulcrum tantum relinqueret. Quo factum est, ut Sepulcrum dominicum non jam antrum in rupe fuerit, sed potius sacellum quoddam, haud dissimile celeberrimis illis Absalomi et Sacharjae monumentis in valle Jehosaphat. Hoc sacellum eximiis columnis et cujusque modi ornamentis est illustratum. Transgressus inde est ad permagnum locum, libero patentem coelo. Cujus solum splendidis lapidibus Constantinus constravit, longis porticibus ad tria latera additis. Area igitur Sepulcrum circumdedit, quae quidem area eum obtinuit locum, quo nunc magnum tholum videmus. E regione portae Sepulcri, quae ad orientem spectat, areae conjuncta erat Basilica. Haec igitur eo loco aedificabatur, quo nunc est ecclesia Graecorum. Tres portae ad orientem solem apte dispositae introeuntium turbam exceperunt. E regione harum portarum erat apsis Basilicae, caput totius operis. Duodecim pro numero apostolorum Salvatoris cingebatur columnis, quarum permagna capita argentea erant. Apsin in occidentali, portas autem in orientali ecclesiae parte fuisse collocatas, ne mireris: ipse locus hoc postulavit, quippe quum ad occidentem sacrosanctum Resurrectionis monumentum esset situm, ad orientem vero Urbs, unde populus affluxit. Atque conjicere fortasse liceat, alias quo-

què Constantini ecclesias hoc modo fuisse collocatas ad imitandam Hierosolymitanam ecclesiam. Legisse memini, Romae quoque in ecclesia Sancti Petri portas in oriente esse, chorum vero cum altari in occidente. Ante portas ecclesiae insuper atrium Constantinus posuit, porticibus circumdatum. Hoc atrium super illum locum fuit, quo nunc cryptam Helenae videmus et sacellum inventionis Crucis. Nihil hic dicam de Crucis inventione, quum in sequentibus de ea disserendum mihi sit. Id vero mirum videri possit, quod Eusebius in his describendis ne verbo quidem Golgathae mentionem faciat, neque omnino loquatur de Crucifixionis loco, sed tantum de loco Resurrectionis. Videre hic iterum licet, quanta temeritate nostri temporis critici agere soliti sint. Ex eo enim, quod Eusebius in describenda Basilica silet de loco Crucifixionis, citissime isti concludunt, locum illum ei incognitum fuisse. „Eusebius nihil de Golgatha dixit, itaque Golgatham non novit. Nosset autem eam, si tam prope Sepulcro adfuisset ut hodie creditur. Itaque si de vera Sepulcri sede constaret, Golgatha vera esse non posset, et vice versa.“ Mirandum sane est, hominem sana mente praeditum non erubescere hujusmodi conclusiones efficientem. Quid? si ego describerem nostrum templum Spiritus Sancti, neque vero expressis verbis commemorarem, alteram templi partem adesse, quam Romano-catholici possident, num inde sequeretur, nullam existere hujus templi partem catholicam? Si quis totum hoc templum describeret, neque vero mentionem faceret hospitii publici ad Equitem, quod quidem a templo nostro propius abest, quam Golgatha Sepulcro: num inde concludi posset, hujusmodi hospitium Heidelbergae non inveniri? Sed operae pretium sane non est, diutius in refutandis hujusmodi criticis versari. Omnia quae proferunt illi, sexcenties jam refutata sunt, sed semper eandem canere cantilenam isti pergunt, nihil nisi suam sapientiam audientes. Quare haec tantum dicam: Cyrillus noster, qui

in Constantini Basilica orationes habuit catecheticas, saepissime Crucifixionis locum commemorat tamquam proxime situm, ut in Cat. IV, 10. 14. XIII, 4. XVI, 4. quae omnia accuratius exponam in parte secunda. Exstat insuper testimonium ex anno 333. in itinerario Hierosolymitano peregrinatoris Burdigalensis, quod ita se habet: „A sinistra autem parte est monticulus Golgatha, ubi Dominus crucifixus est. Inde quasi ad lapidem missum est crypta, ubi corpus ejus positum fuit et tertia die resurrexit. Ibidem modo jussu Constantini Imperatoris Basilica facta est, id est Dominicum mirae pulchritudinis, habens ad latus exceptoria, unde aqua levatur, et balneum a tergo, ubi infantes lavantur."

Opus Constantini post decennium consummatum fuit. Splendidum sane et dignum Imperatore aedificium, multo pulchrius ea Sepulcri ecclesia, quam nos hodie videmus. Haec enim e diversissimis partibus composita est male inter se cohaerentibus, illa autem ad unum idque praestantissimum consilium fuit exstructa. Hoc ceterum monendum est, delineationem aere excusam, quam Touttée editioni Cyrilli praefixit, falsissimam esse, quippe quum Orientem illa exhibeat loco Occidentis, Meridiem loco Septentrionis, ne dicam de dimensionibus loco ipsi nullo modo congruentibus. Egregiam Basilicae delineationem nobis dedit Williams vol. II. pag. 289. Dedicationem ecclesiae neque Helena vidit neque Macarius episcopus. Illa enim mox post reditum e Palaestina annum agens circiter octogesimum caducam hanc vitam cum immortali vita commutavit. Macarius autem anno 335. Hierosolymis mortuus est, atque successorem habuit in episcopatu Maximum. Anno sequente synodum Tyrum in Phoenicia convocaverat Imperator. Omnes synodi episcopi Hierosolymam properare jussi sunt. Permagnus episcoporum numerus ex omnibus imperii provinciis Hierosolymam confluxit, quorum coetum Marianus Constantini procurator singulari comitate et, ut dicit

Eusebius, magnificentissimis epulis atque conviviis honorifice excepit. Egentibus vero et nudis et pauperum utriusque sexus infinitae multitudini cibi ac reliquarum rerum inopia laboranti, magnam pecuniae vim et plurimas vestes distribuit. Sacerdotes Dei partim precationibus partim sermonibus festivitatem ornaverunt, et hoc modo dedicatio Martyrii Resurrectionis (sic enim saepe Eusebius hanc appellavit ecclesiam), ipsis Imperatoris tricennalibus summa cum laetitia celebrata est. Eusebius, qui ipse dedicationi interfuit, librum conscripsit, in quo fusius exposuit, qualis forma Basilicae Salvatoris, qualis sacrae speluncae species sit, quanta operis venustas et elegantia, quot denique donaria auri, argenti atque gemmarum; quem librum ad calcem vitae Constantini editurus erat. Deplorandum est, quod hoc opus sane gravissimum non est conservatum. *)

Diutius in ecclesia sacri Sepulcri describenda commorati sumus, quippe quum in hac ipsa ecclesia Cyrillus orationes catecheticas habuerit. Aptissimus profecto locus ad instruendos Catechumenos.

---

## CAPUT II.

### Ecclesia Hierosolymitana Cyrilli temporibus.

#### §. 5. De Arianorum in ecclesia dissidiis.

Multifariam vita Cyrilli per Arianos eorumque dissidia turbata est. Quare antequam loquar de Cyrilli rebus gestis, paucis tristissimorum horum dissidiorum historia est adumbranda.

---

*) cf. Euseb. vita Constantini lib. IV, 43—45.

Jam ante Cyrilli tempora in ecclesia orientali multum de Sacrosanctae Trinitatis mysterio disputatum est. Duas maxime invenimus partes, quarum altera hoc inprimis spectabat, ut unitas essentiae in Triade distincte enunciaretur, altera, ut distinctio hypostaseon sive personarum in Triade nullo modo deleretur. Illa, si modum excessit, in Sabellianismum, haec in Subordinatianismum et Arianismum facile potuit aberrare. Haec, quae in Oriente multos nacta est sectatores, philosophicis Origenis notionibus maxime nixa est; illa per Occidentem divulgata, eorum potius, quae ad vitam christianam et redemtionem et reconciliationem humani generis cum Deo spectabant, rationem habuit quam philosophiae. Haec non fidei sed intellectui primum assignans locum, saepe ea non agnovit, quae animae piae ante omnia necessaria sunt; illa, his rebus maxime intenta, per fidem ad altiorem quam altera evecta est intellectum. Primae parti addictus fuit Arius presbyter Alexandrinus, qui initio ab ecclesiae doctrina nullo modo discedere sed potius doctrinam de tribus personis contra Pauli Samosateni errores defendere voluisse videtur. Quum autem neque pietate neque doctrina eximia Arius esset ornatus, fieri potuit, ut inter disputandum excederet modum in contrarias partes: id quod saepius evenire videmus, quando mediocris ingenii homines principatum factionis cujusdam volunt obtinere. Non dubito, quin Ario quoque hoc acciderit dicenti: Dei filium creaturam Patris esse; Deum, quum nos creare voluisset, „quendam“ prius creasse, eumque „Verbum“ appellasse et „Sapientiam“ et „Filium“, ut per eum nos crearet; tempus fuisse, quo Filius nondum fuisset (ἦν ὅτε οὐκ ἦν). Sed nostrum hoc loco non est, pluribus de Arii doctrina disserere. Arium ab Alexandro episcopo depositum et excommunicatum esse nemo ignorat. Reconciliare Alexandrum cum Ario frustra Imperator conatus est, frustra Eusebius Caesariensis. Quare anno 325. primum oecumenicum

concilium Nicaeam Constantinus convocavit ad controversias dirimendas et pacem ecclesiae restituendam. Pauci tantum episcopi a parte Arii steterunt. Alexandri quoque pars non valde numerosa fuit. Maximus episcoporum numerus pacis amans medias tenuit partes, idque inprimis egit, ut doctrina de divina natura Christi iisdem describeretur verbis, in quibus ad hunc usque diem pietas Christianorum acquieverat. Neque igitur illi controversiam dijudicare voluerunt, sed formulam quandam invenire conati sunt, quam utraque pars accipere posset. Quorum e numero Eusebius Caesariensis fuit, qui cum doctrina tum pietate et animi lenitate insignis, symbolum concilio proposuit, doctrinam de Christo describens verbis maximam partem biblicis, diserte docens divinam Salvatoris naturam, verbum autem „οὐσία“ et „ὁμοούσιος“ devitans. Dixit Eusebius in hoc symbolo, Christum esse Verbum Dei, Deum de Deo, lumen de lumine, primogenitum omnis creaturae, ante omnia saecula a Patre genitum. Maximo episcoporum numero sine dubio hoc symbolum satisfecit, Alexandri autem pars postulavit, ut formula quaedam adderetur, quam Arius accipere non posset, quae eum ejusque sectatores excluderet. Quae sententia, quod sane maxime mirandum, placuit Constantino. Optavit enim, ut synodus verbum „consubstantialis“ acciperet. Quo factum est, ut synodus non solum hoc verbum adderet, sed etiam pro „Deus de Deo“ diceret: „Deus verus de Deo vero“; et verbo „genitus“ subjungeret illud „non factus.“ Hoc modo symbolum Nicaenum exortum est. Si quis forte quaerat, quibusnam de causis Imperator a parte Alexandri steterit, respondendum: illum sane haudquaquam intellexisse totam hanc controversiam, sed a nonnullis episcopis tum temporis magnam habentibus auctoritatem, hoc modo instructum fuisse. Videmus, quanta jam fuerit auctoritas Imperatoris in iis etiam, quae ad fidem spectabant; videmus non solum jus circa sacra sed etiam jus in sacra illum

et obtinuisse et exercuisse, licet mira illa de jure episcopali principum doctrina, quae nobis ex officio credenda praescribitur, nondum esset inventa. Constantinum rem non satis intellexisse hac de causa asserere non dubitavi, quia non multis annis interjectis Ario veniam dedit, et anno 336. Athanasium, Alexandri successorem, in exilium misit. Arius post concilium, quod Tyri convocatum erat, Hierosolymis ab episcopis ad dedicandam Basilicam congregatis in ecclesiae communionem denuo receptus est. Neque vero diu hac re frui potuit, quum subita morte Constantinopoli eodem anno perierit. Post mortem Constantini filius ejus Constantius magis magisque Arianismum fovere coepit, eo quidem modo, ut Ariani plenam victoriam reportarent de Nicaenis. Sed haec victoria ipsis victoribus mox perniciosa fuit. Nicaenis enim superatis contentiones exortae sunt inter Arianos et Semiarianos, quae quidem contentiones in persecutiones saepe degenerarunt. Hoc tempore cum multis aliis Cyrillus quoque depositus et in exilium missus est. Quae autem Constantius inceperat, ea inde ab anno 364. per Valentem Imperatorem ad finem perducta sunt. Hic enim, Arianorum erroribus addictissimus libidinose et crudeliter saepe non in Homousianos solum sed in Homoeusianos etiam consuluit. Quo factum est, ut Semiariani, magis magisque ab Arianis discedentes, cum Orthodoxis conjungerentur. Omnes fere illustres ecclesiae doctores, qui hoc tempore floruerunt, a parte Nicaenorum steterunt. Arianismus evanescere coepit. Quare mirandum sane non est, in concilio Constantinopolitano, a Theodosio Magno Imperatore anno 381. convocato, non solum doctrinam Nicaenam accuratius definitam esse, sed Semiarianorum etiam haud contemnendum numerum symbolo orthodoxo nunc esse adstipulatum. Cyrillum quoque nostrum ab hoc concilio orthodoxiae testimonium accepisse, in sequentibus apparebit. His ita expositis, jam audiamus, quae de vita Cyrilli nobis tradiderint rerum scriptores.

## §. 6. De Cyrilli rebus gestis.

De iis dicturus, quae suis temporibus gesserit, quid passus sit Cyrillus noster, arduum ac difficile opus aggredior, quippe quum nullus veterum Patrum de vita Cyrilli scripserit, sed obiter tantum illi quaedam afferant. Doctissimus Touttée ex ordine Monachorum Benedictinorum dissertationem de Cyrilli vita editioni Catecheseon praefixit, quam eximia doctrina et haud vulgari diligentia esse elaboratam libenter equidem profiteor. Sed quum id sibi proposuerit, ut ab omni vel levissima heterodoxiae macula Nostrum purgaret, non ea qua historiae scriptorem decet animi simplicitate atque judicii libertate vitam Cyrilli tractare potuit. Neque hoc sane mirandum in praestantissimo illo viro. Ea in judicando libertas, quam nos in nostra ecclesia damus petimusque vicissim, neque dari potuit Monacho Benedictino, neque fas ei erat hujusmodi libertatem petere. Quid? quod ipsis nostris diebus haud pauci reperiuntur, quibus ecclesiae visibilis auctoritas multo potior sit, quam ea, de qua reformatores cogitaverunt, libertas? Nonne his ipsis temporibus magna voce clamantes audimus, professionem fidei esse vitam et veritatem ecclesiae, consentientes cum Bellarmino dicente: „ut aliquis aliquo modo dici possit pars verae ecclesiae, non putamus requiri ullam internam virtutem sed tantum externam professionem fidei et sacramentorum communionem?“

Sed ne dicam de his, prioribus jam temporibus Patres ecclesiae aeque a Romano-catholicis atque a Nostris torquebantur, ab iis nimirum qui id agebant, ut demonstrarent Patres nobiscum consentire, protestanticam ut dicunt fidem Patres tenere. Hujus rei exempla afferam in sequentibus, de Cyrilli doctrina disserens. Quod ad me attinet, libere confiteor, mea non interesse, utrum Cyrillus orthodoxus Romano-catholicus

fuerit an orthodoxus Lutheranus, utrum transsubstantiationem docuerit nec ne. Orationes catecheticas perlegens inveni, in Jesum Christum unigenitum Dei filium Cyrillum credidisse, maximum in instruendis Catechumenis eundem posuisse studium, maximoque ingenio hac in re esse versatum. Et his de causis admirandus maximeque venerandus Cyrillus mihi videtur, licet non cum omnibus consentiat aut concilii Tridentini aut formulae Concordiae decretis.

His praemissis, jam paucis de Cyrilli vita disserendum. Nil plane compertum habemus de parentibus, quibus natus est Noster, nil de patria, quae eum procreavit. Suspicari licet Cyrillum, si non natus fuerit Aeliae, in pueritia tamen Urbem adiisse, quippe qui Bethlehem et Golgatham ante Helenae et Constantini tempora se vidisse significare videtur. Quodsi ita se habet, quaeritur, num inde annum nativitatis Cyrilli si non certo definire at cum quadam veri specie conjicere liceat? Loca nimirum sancta anno 326. expurgari ornarique sunt coepta. Haec si Cyrillus ante purgationem vidit, circa annum 315. natus esse videtur; quod his insuper argumentis probare nobis posse videmur: dicit ille Cat. VI, c. 20. Manetis errorem septuaginta ante annos esse exortum. Annus autem, quo Manes prodiit, est 277. post Christum natum. Dictae igitur videntur Catecheses circa annum 347. Accedit locus Cat. XIV., c. 22. de testibus resurrectionis Domini. „Locus ipse, inquit, adhuc conspiciendus et sanctae ecclesiae haec domus, quam ex Christi amore beatae memoriae Constantinus Imperator aedificandam curavit.“ Inde Constantinus eo tempore non adhuc superstes fuisse videtur. Cap. 14. ejusdem Catecheseos haec verba leguntur: „Imperatores qui nunc sunt hanc in qua nos sumus sanctam ecclesiam Resurrectionis Salvatoris Dei exstruxerunt.“ Significari hic videntur a Cyrillo Constantini filii Constantius et Constans. Quum Constans anno

350. ineunte sit defunctus, catecheses scriptae videntur intra annum 347 et 350. Sed quid haec ad nativitatem Cyrilli? Multum quidem. Dixit enim has catecheses presbyteri munere fungens; hunc vero ordinem obtinere non potuit nisi triginta annos natus. Anno igitur 347. Cyrillum tringinta ad minimum annos natum fuisse oportet. Quare a vero non aberrare mihi videor, Cyrillum nostrum natum esse circa annum 315. statuens.

Quid deinde egerit Cyrillus juvenis, quum plane nesciamus, nolo conjecturis supplere. Ut supra jam dixi, anno 326. a Macario Hierosolymorum episcopo Helenae et Constantini filii cura loca sacra expurgata sunt. Post decennium, anno nimirum 336. a Maximo episcopo nova sacri Sepulcri ecclesia dedicata est. A Maximo igitur Cyrillus presbyter ordinatus est, et ut supra demonstravi, non ante annum 345. Non multos autem per annos presbyteri munus eundem retinuisse credo, quum Hieronymus in chronico ad annum 349 — qui annus cum anno nostrae aerae 350. convenit — haec habeat: „Quadragesimus Maximus post Macarium Hierosolymorum episcopus moritur. Post quem ecclesiam Ariani invadunt, id est Cyrillus etc.“ Quo jure Hieronymus Nostrum Arianum dicat, postea disquiremus. Néque necessarium mihi videtur de ea quaestione pluribus disputare, utrum Macarius morte clauserit episcopatum teste Hieronymo, an ab Arianis expulsus fuerit, testibus Socrate et Sozomeno. Hoc loco in eo acquiescamus, Cyrillum anno 350. vel forte 351. Hierosolymorum episcopum esse electum.

Et jam ad celeberrimam istam narrationem de cruce lucida in coelo visa pervenimus. Exstat nimirum epistola Cyrilli ad imperatorem Constantium, in qua haec fere ille narrat: „In sanctis his sanctae Pentecostes diebus Nonis Majis circa horam tertiam permagna crux e luce confecta in coelo super sanctum Golgatham et usque ad sanctum montem Olivarum expansa visa est, non uni et alteri solum visibilis sed omni urbis mul-

titudini evidentissime ostensa. Non, ut forte quis putavérit cito imaginis instar praetervolans, sed pluribus horis super terram oculis videnda conspecta est et coruscantibus fulgoribus radios solis exsuperans. Nam exsuperata illis latuisset, nisi sole valentiores videntibus monstrasset fulgores; ita ut universa urbis multitudo catervatim statim in sanctam ecclesiam adcurreret, percussa cum timore tum gaudio ob id quod Deus videndum dederat; multitudo juvénum simul et senum, virorum et feminarum, omnis aetatis usque ad ipsas in thalamis per domos reclusas puellas, indigenarum et peregrinorum, Christianorum simul et Gentilium ex diversis locis hic commorantium; omnes unanimiter quasi ex uno ore Christum Jesum Dominum nostrum filium Dei unigenitum effectorem miraculi hymnis celebrantes, re ipsa et experientiá cognoscentes, Christianorum piissimum dogma non in persuasoriis sapientiae verbis sed in demonstratione Spiritus et potentiae consistere (1. Cor. 2, 4.), non ab hominibus solum adnuntiatum sed e coelo a Deo comprobatum." Haec est celeberrima illa de lucida Cyrilli cruce narratio. De qua quid sentiendum sit, num pro vera habenda sit nec ne, nolo hic prius disquirere, quam de Cyrilli, quam laudavimus, epistola judicium meum protulerim. Quaerendum enim est, utrum epistola illa revera Cyrillum habeat auctorem an supposititia sit et adulterina. Rationes externae quantum video authentiam probant. Legitur enim illa epistola in omnibus iisque optimis Cyrilli codicibus manuscriptis, quod fusius exponit Touttaeus in Cyrilli operum editione. Andreas Rivetus e nostratibus theologus in Critica sacra, quam 1610. edidit, hanc epistolam spuriam esse contendit. Quum autem opus ejus modo laudatum ipse nunquam viderim, ea solum referre possum, quae Touttaeus e Riveto attulit. Ex his certe mihi Rivetus externas rationes contra Cyrilli epistolam protulisse haud videtur. Hoc procul dubio asserere possumus, veteribus scrip-

toribus epistolam Cyrilli non fuisse ignotam, quum Sozomenus in hist. eccl. lib. V. c. 5. disertis verbis de hoc portento narrat: „Ipse, inquit, quoque Imperator de ea re certior factus est, tum ex multorum aliorum relatione tum ex litteris Cyrilli episcopi ad ipsum datis;“ *) quum porro Philostorgius in libro tertio hist. eccl. cap. 26. aperte Cyrilli epistola nitatur, de cruce lucida loquens. Quae quum ita sint, internae ut dicunt rationes sunt examinandae. Ac tres inprimis sunt rationes, quae contra epistolae authentiam afferuntur, quum primo loco dicatur, immodicas istas adulationes, quibus cumulat epistolae auctor Imperatorem eumque Arianum, plane non dignas esse Cyrillo. Concedo, laudes, quibus Constantius in hac epistola ornatur, immodicas fere esse. Concedo idem, episcopo magis convenire aliam scribendi rationem. Nonne immodica fere laus imperatori tribuitur his verbis: „Tuo vero tempore Domine, omnium piissime Imperator, qui avorum pietatem majori in Deum religione superas, non e terra jam sed e coelo data prodigia?“ Fateor equidem non valde mihi placere auctorem epistolae, qui Constantium βασιλέα Θεοφιλέστατον nuncupat et quae alia hujus generis sunt. Sed hoc quoque erit respiciendum: 1) inde a Constantini temporibus Caesareo-papismum deplorandum in ecclesia invaluisse, ut mirandum inde vix sit, episcopos et presbyteros ea jam usos esse et dicendi et sribendi ratione, quae usitata erat in principum aulis. Adde, quod revera Constantius ecclesiae, clero inprimis multa largitus est. Ecclesiae opes magnis donariis ab illo auctae, immunitates maximae Clericis concessae. Quare alii etiam Patres iisdem laudibus quibus Cyrillus eundem ornaverunt, inter quos, quod maxime sane tenendum, Athanasius, qui tam multa et injusta a Constantio perpessus est.

---

*) „Ἔγνω δὲ τοῦτο καὶ ὁ βασιλεύς, ἄλλων τε πολλῶν ἀναγγελάντων καὶ Κυρίλλου τοῦ ἐπισκόπου γράψαντος.

2) Si Cyrillo exprobrare velimus adulationem tanto viro parum dignam, haud scio an valeat, quod in sacra Scriptura dicitur, festucam in oculo fratris nostri conspicimus, trabem autem, quae in oculo nostro est, non consideramus. Non magni profecto laboris esset, sat magnam epistolarum copiam proferre a viris pietate conspicuis ad reges principesque datarum, in quibus multo turpiores adulationes in reges cumulantur. Quare equidem concedere nequeo, propter illas laudes epistolam nostram Cyrillo esse abjudicandam.

Altero loco hanc afferunt rationem: dicendi genus in hac epistola valde discrepare ab eo, quo Cyrillus in catechesibus usus sit. Ipse Touttaeus concedit, stylum paullo neglectiorem esse, quam argumenti aut personae ad quem scriberet dignitas postulare viderétur; longas ibi occurrere et intricatas phrases, rerum earundem repetitiones, sententias parum accuratas etc. Sed haec omnia aeque ex festinatione in scribendo atque e diversitate auctoris possunt explicari. Ipse Cyrillus statim post apparitionem se scripsisse epistolam testatur, dicens: „ἔδει δὲ τὰς ἐπουρανίους ταύτας θεοπτίας μὴ παραδοῦναι σιωπῇ, ἀλλ' εὐαγγελίσασθαί σου τὴν ἔνθεον εὐσέβειαν· ἐξαυτῆς διὰ τούτων ἐσπουδάσαμεν τῶν γραμμάτων.“ Ceterum si quaedam styli diversitas occurrat inter catecheses et epistolam, hoc quoque tenendum, quod catechesis non est epistola ad imperatorem missa et vice versa. Equidem libenter fateor, alia dicendi ratione me uti in orationibus quas habeo catecheticis, alia in epistola ad viros illustres data. Sed diversitas illa in catecheticis Cyrilli orationibus et in epistola tanta mihi non essé videtur, magnam potius styli similitudinem in hac et in illis mihi invénire videor. Ac nemo nescit „criticam e rationibus internis“ haud firmo niti fundamento.

Procedamus ad tertium argumentum, quod adversus epistolam nostram proferunt. Legimus in plurimis editionibus

in fine epistolae glorificationem sanctae „consubstantialis“ Trinitatis. Verbo autem „consubstantialis“ nunquam in Catechesibus usus est Cyrillus, quem ipsum de industria hoc verbum omisisse nullus dubito. Ac mirum sane esset, si Cyrillus hoc uteretur verbo in epistola data ad Imperatorem Arianum, voci „ὁμοούσιος“ inimicissimum, praesertim quum nuperrime ab Acacio Ariano esset ordinatus. Sed propter hanc unam voculam totam epistolam spuriam dicere, haud necesse videtur. Nam facile fieri potuit, ut tota illa doxologia adsueretur a librariis. Atque id revera factum esse mihi videtur, quum illa desideretur in editione hujus epistolae, quam inveni in notissimo illo Gretseri Jesuitae opere „de Cruce.“

Alia adversus sinceritatem epistolae argumenta allata non invenio, quare equidem a Cyrillo eam conscriptam esse existimo. Ipsum igitur Cyrillum de lucida quae apparuit cruce nobis narrasse constat. Cujus narratio utrum vera sit nec ne, equidem dijudicare nolim. Unusquisque enim opinor ex animo suo judicium facile ferre poterit.*)

In vanum a multis disputatum est de eo, quid praesagiverit ista lucidae crucis species? Licet nullo modo ego in hujusmodi re tractanda operam oleumque perdere velim, non tamen possum quin interrogem, annon hoc signo Cyrillo potuerit in animum induci, crucem sibi ferendam esse in episcopatu? Utcunque autem res se habet, mox Cyrilli persecutiones inceperunt, quippe quum Acacius Caesariensis episcopus anno jam 357. vel 358. eum deposuerit; teste Sozomeno IV, 25. Quaenam depositionis fuerit causa, difficile dictu est. Alii orthodoxiae suae causa Cyrillum depositum esse contendunt, alii depositionis causam contentionem quandam fuisse dicunt de jure metropolitano, exortam inter episcopum Caesariensem et

*) Conf. Schröckh, Kirchengeschichte vol. XII, p. 457, 458.

Hierosolymitanum. Sed quid ad illam opinionem tuendam possit afferri, equidem plane non video. Eo tempore, quo Cyrillus per Acacium episcopatum obtinuit, consensus quidam inter eos locum habuisse videtur, quum uterque a parte orthodoxorum non steterit. Cyrillum autem ante depositionem Semiarianorum partes dereliquisse et ad Nicaenos transiisse hac de causa non credo, quia post depositionem cum cum Semiarianis fuisse novimus. Sozomenus enim in hist. eccl. IV, 25. narrat, Cyrillum hoc tempore versatum esse cum Sylvano Tarsensi, cum Basilio Ancyrano et Georgio Laodiceno, quos omnes Semiarianorum duces fuisse constat. Quare equidem statuo, de jure metropolitano Acacium inter et Cyrillum rixam exarsisse. Primatus enim et metropolitana in Palaestinae ecclesias jura penes episcopum Caesariensem erant. Hoc episcopo Hierosolymitano non placuisse videtur. Sed utrum Cyrillus omne jus metropolitanum an partem tantum — ut contendit Touttaeus — sibi vindicaverit, non magni momenti est, ita ut acquiescere possimus in iis, quae Sozomenus dicit loco supra laudato: de jure metropolitano Cyrillum tanquam apostolicam sedem obtinentem, controversiam adversus Acacium Caesariensem movisse.

Cyrillus quum depositus esset, ad majus quoddam concilium provocavit, cui quidem appellationi Constantius Imperator adstipulatus est. Hoc concilium Seleuciae in Isauria anno 359. convenit, quumque in hac synodo Semiarianorum pars numerosior esset quam Arianorum, Cyrillum restitutum esse non dubito. Imo Acacium quasi Arii partes secutum depositum esse scriptores tradunt. Sed non diu Semiariani hac victoria frui potuerunt. Anno enim sequenti pars Acacii synodum convocavit Constantinopolin, et quum Constantius Imperator a parte Arianorum steterit, multi Semiarianorum episcopi ab hac synodo depositi sunt. Inter hos Cyrillum fuisse constat. Causa depositionis non doctrina solum Cyrilli fuit, quum alio insuper

crimine Imperatoris iram in eum excitatam esse narrent. Cyrillus nimirum jam ante primam depositionem in egestate publica pretiosum ecclesiae pallium in usum pauperum vendidit. Hoc a mercatore emit mulier quaedam scenica et illo amictu induta in publicum prodiit. Inde jam tum Acacius sacrilegii Cyrillum accusavit, mox vero Imperatori narrasse videtur, Cyrillum vestem auro intextam a Constantino ad usum baptismi Macario datam, vendidisse mimo cuidam, qui ea inter saltandum ornatus corruisset et spiritum exhalasset.

Depositos episcopos exilio insuper mulctavit Imperator: quonam autem Cyrillus sit relegatus, a nemine traditum reperio. Cyrillum, hujusmodi persecutionibus magis magisque ab Arianorum parte abalienatum, propius ad Nicaenos accessisse verisimile est; quare equidem non dubito, quin per extremam vitae periodum a parte catholicorum steterit Noster. Anno 361. exeunte diem Constantius obiit supremum, et successor ejus Julianus, non pietate sane motus sed hostili in ecclesiam animo perductus omnibus in ecclesia partibus plenam concessit libertatem. Quum enim Constantino et Constantio regnantibus vidisset eam partem semper retulisse victoriam, quam Imperator esset tutatus, speravit fore ut partes illae se invicem absumerent, si nulla earum Caesaream protectionem obtineret. Omnes nunc episcopi, quos Constantius deposuerat, sedes suas recuperaverunt. Cyrillus Hierosolyma rediit et Acacio mortuo Metropolitani jura in Palaestina exercuit. Placide nunc Cyrillus in episcopatu degisse videtur usque ad annum 367, quo Valens Imperator omnes episcopos, qui Juliano regnante redierant, denuo exilio mulctavit. Tertium hoc exilium Cyrilli longissimum fuit, quippe quum non ante mortem Valentis anno 378. rediisse videatur. Ubinam degerit per undecim hos annos, plane nescimus. Hoc autem Socrates II, 45. et Sozomenus IV, 30. narrant, Heraclium et Hilarium episcopatum Hierosolymis hoc tempore obtinuisse, om-

nis generis haereticos in ecclesiam influxisse, Arianos, Apollinaristas et Pneumatomachos, multisque turbis et scissionibus ecclesiam esse corruptam. Valente anno 378. prope Adrianopolin a Gothis superato et occiso, Gratianus Imperator, Theodosio in consortium imperii adscito praecepit, ut episcopi a Valente in exilium missi restituerentur. Cyrillus vel exeunte anno 378. vel ineunte 379. Hierosolyma reversus perturbatam invenit ecclesiam, indeque per reliquum vitae tempus reformandae ecclesiae diligentem dedit operam. Qua in re Gregorius Nyssenus eum adjuvit, qui anno 380. Hierosolyma venit, et quid ibi egerit in epistola ad Eustathiam atque in epistola „de euntibus Hierosolymam" exposuit. Anno sequenti Cyrillus secundae oecumenicae Synodo interfuit, quam Theodosius ad componendum ecclesiae orientalis statum Constantinopolin coëgerat. Socrates et Sozomenus episcopos synodi recensentes, inter trium majorum sedium episcopos numerant Cyrillum, quem etiam cum illis synodi praesidem fuisse Sozomenus narrat. Major insuper honos ei tributus est, quum anno 382. episcopi orientales Constantinopoli congregati synodicas litteras ad concilium Romanum per tres episcopos eo delegatos mitterent, fidei suae rationem reddentes et absentiam suam a concilio Romano excusantes. In his enim litteris teste Theodoreto hist. eccl. lib. V. cap. 9. dicitur de Cyrillo: „Τῆς δέγε μητρὸς ἁπασῶν τῶν ἐκκλησιῶν τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις τὸν αἰδεσιμώτατον καὶ θεοφιλέστατον Κύριλλον ἐπίσκοπον εἶναι γνωρίζομεν, κανονικῶς δὲ παρὰ τῶν τῆς ἐπαρχίας χειροτονηθέντα πάλαι, καὶ πλεῖστα πρὸς τοὺς Ἀρειανοὺς ἐν διαφόροις τόποις ἀθλήσαντα." Hoc honorificentissimum orthodoxiae testimonium quum a Synodo Cyrillo datum esse constet, dubitare non possumus, Nostrum jamdudum Semiarianorum parte derelicta Nicaenam fidem non solum animo amplexum sed libere etiam ore professum esse. Ab eo inde tempore nil amplius de Cyrillo traditur. Quiete Hierosolymis vixisse videtur usque

ad obitum. Mortuus est anno 386, die decimo octavo mensis Martii, ut Graeci dicunt. Ut ab ecclesia graeca ita a romana Sanctorum numero Cyrillum adscriptum esse, notum est.

Haec de Cyrilli vita habui adumbranda. Fusius haec omnia explicata invenis apud Touttaeum supra laudatum. Tanta Touttaeus diligentia omnes historiae scriptores tum vetustiores tum recentiores perscrutatus est, ut haud facile novi quidquam ad vitam Cyrilli illustrandam adferri possit. Quo factum est, ut haec mea adumbratio eodem modo in Touttaeo nitatur, quo omnia ea, quae de Cyrilli vita Schroeckh in historia ecclesiastica, v. Cölln in Ersch. et Gruber. encyclopaedia Sect. I. Vol. XXII. pag. 143—149. et G. Williams in „Urbe sacra“ Vol. I. pag. 248 seqq. exposuerunt.

De indole atque ingenio Cyrilli hoc loco disserere nolui, quum hac de re judicare non liceat nisi prius explorata doctrina Cyrilli et methodo, qua in docendo utebatur.

---

# PARS II. DOCTRINA CYRILLI.

## INTRODUCTIO.

### §. 7. De Symbolo Hierosolymitano.

Cyrillus in orationibus Symbolum Catechumenis explicavit. Hoc Symbolum non scriptis litteris tradendum sed memoria retinendum et in baptismo confitendum erat. Symbolum apostolicum jam diu ante Cyrilli tempora exstitisse, itemque Symbolum Nicaenum tum temporis per ecclesiam divulgatum fuisse satis constat. Cyrillus autem neque apostolico in Catechesibus usus est neque Nicaeno, sed alio quodam, quod Symbolum Hierosolymitanum vulgo appellatur. Quare primum quidem videamus, quibus in verbis hoc Symbolum differat ab apostolico et Nicaeno, deinde de origine et indole Symboli Cyrilliani paucis sententiam nostram exponamus. Non magni laboris est, e Catechesibus verba Symboli colligere, quod ea quam novimus diligentia Touttaeus fecit pag. 84. atque Walchius in bibliotheca symbolica vetere pag. 43. Nicaenum Eusebius tradidit in epistola ad Caesarienses data, quam legimus apud Theodoretum, hist. eccles. lib. I. cap. 12. et apud Socratem hist. eccles. lib. I. cap. 8. Praeterea a multis aliis ecclesiae orientalis patribus recitatur. Utrumque hic repetamus, adjecto insuper Symbolo apostolico.

| Symbolum apostolicum. | Symbolum Hierosolymitanum. | Symbolum Nicaenum. |
|---|---|---|
| I. Πιστεύω εἰς θεὸν πατέρα παντοκράτορα | Πιστεύομεν εἰς ἕνα θεὸν πατέρα παντοκράτορα | Πιστεύομεν εἰς ἕνα θεὸν πατέρα παντοκράτορα |
| ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, | ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς | |
| | ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων, | πάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν, |
| II. Καὶ εἰς Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν αὐτοῦ | Καὶ εἰς ἕνα κύριον I. X. τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ | Καὶ εἰς ἕνα κύριον I. X. τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ |
| τὸν μονογενῆ, τὸν κύριον ἡμῶν, τὸν γεννηθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου | τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα | γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ, τοῦτ' ἔστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, |
| | θεὸν ἐκ θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, | θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ, |
| | θεὸν ἀληθινὸν πρὸ πάντων αἰώνων, | γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ |
| | δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, | δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ, τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα, |
| καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, | ἐν σαρκὶ παραγενόμενον καὶ ἐνανθρωπήσαντα, | καὶ σαρκωθέντα, |
| τὸν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου παθόντα | | παθόντα |
| σταυρωθέντα καὶ ἀποθανόντα καὶ ταφέντα, | σταυρωθέντα καὶ ταφέντα, | |
| καὶ εἰς καταχθόνια κατελθόντα, | | |
| τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστάντα ἐκ νεκρῶν, | ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, | καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ |
| ἀναβάντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, | καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, | ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, |
| καθήμενον ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς, | καὶ καθίσαντα ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς, | |
| ὅθεν ἔρχεται κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, | καὶ ἐρχόμενον ἐν δόξῃ, κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, | καὶ ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, |
| | οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος. | |
| III. Καὶ εἰς πνεῦμα ἅγιον, | Καὶ εἰς ἅγιον πνεῦμα, τὸν παράκλητον, τὸ λαλῆσαν ἐν τοῖς προφήταις, καὶ εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας, | Καὶ εἰς ἅγιον πνεῦμα. |

| Symbolum apostolicum. | Symbolum Hierosolymitanum. | Symbolum Nicaenum. |
|---|---|---|
| | καὶ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ εἰς μίαν | |
| ἁγίαν ἐκκλησίαν ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, σαρκὸς ἀνάστασιν καὶ ζωὴν αἰώνιον. | ἁγίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν. καὶ εἰς σαρκὸς ἀνάστασιν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον. | |
| | | Τοὺς δὲ λέγοντας, ὅτι ἦν ποτὲ ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν, καὶ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι, ἢ κτιστὸν τρεπτὸν, ἢ ἀλλοιῶτον τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ — ἀναθεμάτιζει ἡ καθολικὴ ἐκκλησία. |

Jam antequam tria haec symbola inter se comparemus, pauca quaedam de textu symbolorum exponenda mihi videntur. Ad Symbolum apostolicum quod attinet, maximus variarum lectionum numerus exstat, quarum eas tantum commemorare mihi liceat, quae majoris momenti sunt. In articulo primo omnia fere antiquitatis testimonia sibi constant, quare de hoc articulo nil habeo quod moneam. Maximam autem lectionum varietatem in articulo altero invenimus. Conferri hic possunt, quae diligentissime Dr. Lebeau collegit in libro: „Das apostolische und das augsburgische Bekenntniss. Heidelberg 1842.“ p. 37—68. Divina Domini nostri natura semper iisdem fere verbis describitur, quum Graeci omnes „τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τὸν μονογενῆ“ eum appellent, Latini vero „Dei filium unigenitum sive unicum“, ut habet Rufinus in expositione Symboli apostolici §. 6. De humana autem Salvatoris natura diversis modis Patres locuti sunt, quum alii habeant, quod ego in tabula dedi, maximam partem ex Binghami originibus ecclesiasticis Vol. IV, pag. 99. 100., alii autem σαρκωθέντα tantum dicant, vel σάρκα ἀναλαβόντα καὶ ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου Μαρίας γεννηθέντα; alii postremo

legant, quod usitatissimum est in ecclesia: „qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine.“ Omnibus autem his varietatibus materiam fidei nullo modo immutari elucet. Eodem modo in sequenti symboli parte res se habet, quum multi libri nil habeant nisi σταυρωθέντα vel σταυρωθέντα καὶ ταφέντα, et verba ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου in plurimis recensionibus desiderentur.[1] — De descensu Christi ad inferos Rufinus l. l. §. 28. „Sciendum est, inquit, quod in ecclesiae romanae symbolo non habetur additum: „descendit ad inferna“, sed neque in Orientis ecclesiis habetur hic sermo.“ *) In reliqua alterius articuli parte magna quoque lectionum varietas reperitur, sed quum ad ipsum dogma non pertineant hae varietates, de iis loqui supersedeam, pauca jam dicturus de articulo tertio. Varia hic ecclesiae tribuuntur epitheta, quum alii nil habeant nisi „sanctam ecclesiam“, alii „unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam“, alii denique unum alterumve horum verborum repetant, reliqua omittant. Verba „communionem sanctorum“, quae nunc ab omnibus recepta sunt, apud plurimos, quantum video, desiderantur. Simili modo res se habet in fine symboli. Verba enim „vitam aeternam“ nullo modo ubique leguntur, sed ab haud contemnendis antiquitatis testibus omittuntur.

Antequam pergam, hoc monere mihi liceat, non omnes supra laudatas symboli varietates in Patrum scriptis me ipsum indagasse, quum hic de symbolo excursus a proposito meo paullo sit remotior, sed fretum me esse auctoritate Kingii, Binghami et Walchii, virorum doctissimorum. Quare si forte

---

*) De hoc symboli membro cf. quae King. exposuit in „historia Symboli apostolici“ cap. IV. ed. Basil. latina 1750. p. 149 sqq. itemque J. L. Koenig in libro: Die Lehre von Christi Höllenfahrt. Frankfurt 1842.

error in expositionem meam irrepserit, hoc indulgenter ferat et ignoscat velim candidus lector.

Ex tanta lectionum varietate colligere possumus, doctores ecclesiae non tam in litteris haesisse sed potius id eos curasse, ut materia symboli retineretur, expressa his vel illis verbis. Quare ex eo, quod Cyrillus in Catechesibus non habet „ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου παθόντα, σταυρωθέντα, ἀποθανόντα καὶ ταφέντα," sed παθόντα solum, concludi nequit, aliud eum habuisse symbolum. Ea quam omnes habebant libertate usus, facile symbolum apostolicum recitans formula breviori uti potuit pro longiori eaque omnibus nota. Accedamus jam ad symbolum Nicaenum, quod ego in tabula quam praefixi, e Walchii bibliotheca symbolica descriptum ante oculos tibi posui, qui eam, quae in Eusebii epistola apud Athanasium de decret. Synodi Nicaenae tom. I. part. I. pag. 239. exstat, formulam secutus est. Hoc primum monendum est, verbo σαρκωθέντα in articulo altero addi in Concilii Chalcedonensis art. V.: „ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου." Deinde pro „παθόντα" idem concilium offert haec: „σταυρωθέντα ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ παθόντα καὶ ταφέντα." Verbis „ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς" Africani et Chalcedonenses addunt: „καὶ καθεζόμενον ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρός;" ac postremo in fine articuli additur: „οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος."

Quod ad Cyrilli symbolum attinet, Touttaei recensionem ego secutus sum, sed hoc tenendum, non in omnibus orationibus iisdem plane verbis usum esse Cyrillum, ita ut alia quoque formula e Catechesibus possit colligi. Accedit, quod non semper intelligimus, quaenam in Catechesibus sint verba symboli, quaenam verba Cyrilli. Sed alias quam Touttaeus e Catechesibus symboli formulas colligere ubi incepi, mox inveni, non magnum intercedere inter omnes hujusmodi formulas discrimen, non majus sane sed minus potius quam id, quod

in diversis symboli apostolici et Nicaeni editionibus invenimus. Quare non necessarium mihi videtur, plura de Cyrilliani symboli verbis addere; id jam videamus utrum symbolum Cyrilli ita cum Nicaeno vel apostolico congruat, ut unum idemque esse statuere possimus?

Symbolum Nicaenum, ut primo loco de hoc meam sententiam proferam, plane novum non fuisse, inter omnes constat. Apostolicum sine dubio fundamentum est Nicaeni. Nihil aliud Nicaenum est nisi amplificatum Apostolicum. Amplificationes autem istae potissimum sunt, e quibus vis et natura Nicaeni cognoscitur. Quare symbolum, in quo hae amplificationes desunt, nullo modo pro editione Nicaeni habere possumus, licet in omnibus aliis ei simile sit. Quaenam autem eae sunt notae, quas Nicaeno proprias appellavimus? Maxime sane Nicaeni vis et natura ex iis cernitur, quae de natura divina Christi dicuntur, quae ita se habent:... „τοῦτ' ἐστὶν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, θεὸν ἐκ θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς,.... γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρί. Tum hisce notis ea sunt adnumeranda, quae in fine addita invenimus contra doctrinam Arii. Haec Patribus Nicaenis maxime cordi fuisse cum e concilii historia elucet, tum ex eo, quod in articulo tertio plane omnia omissa sunt exceptis verbis: „Et in Spiritum Sanctum.“ Symbolum igitur, in quo ea plane non reperiuntur, quae Nicaenum de Christi natura divina profitetur, quae contra Arium statuit, pro Nicaeni repetitione haberi nequit. At Cyrillus illa omnia omisit. Ergo Symbolum Cyrilli non idem est ac Nicaenum.

Sed idem forsitan Cyrillianum est ac symbolum apostolicum? Supra jam monui, hujusmodi sententiam ex eo refutari non posse, quod non verbotenus hoc cum illo congruat. Aliis autem de causis haec sententia placere mihi nequit. Hoc nimirum tenendum videtur: Si in iis tantum de Christi passione verbis, quae supra laudavi, Cyrilli symbolum ab apostolico dis-

creparet, facile mihi persuaderem, Cyrillum nullo alio quam symbolo apostolico in Catechesibus usum fuisse. Si autem hujusmodi additamenta in Symbolo Cyrilli invenio, quae accuratius doctrinam explicant atque definiunt, tum non fortuito et temere ea adjecta esse credam. Hoc autem in ea praecipue occurrit doctrina, de qua maxime illis temporibus in ecclesia disputatum est, in doctrina de natura Domini divina. Omnes enim quas novimus apostolici editiones Jesum Christum unigenitum Dei filium nuncupant, nullo insuper verbo addito. Cyrillus autem addit: „generatum ex patre, Deum verum ante omnia saecula.“ Accedit, quod vix credendum, temere verba apostolici: „γεννηθέντα ἐκ.... Μαρίας τῆς παρθένου“ Cyrillum in verbum illud „ἐνανθρωπήσαντα“ mutasse. His fere de causis nullus dubito, quin Cyrilli symbolum aliud sit atque apostolicum. Medium tenere videtur Symbolum Cyrilli inter apostolicum et Nicaenum. Ut enim apostolicum simplicius est atque brevius quam Cyrillianum, non tam accurate divinam Domini naturam describens, ita Cyrilli symbolum simplicius est quam Nicaenum.

His jam absolutis, de orgine symboli Hierosolymitani disserendum est. De hujus symboli auctore nusquam in Catechesibus Cyrillus loquitur. Immo communis posterioris temporis de apostolici origine opinio, apostolos Hierosolymis symbolum composuisse, plane ignota Cyrillo esse videtur. Passim ecclesiae symbolum adscribit ut Cat. V, 12.*) XVII, 3.**) XVIII, 1.***) Ex quo sane concludendum est, neque Cyrillum ipsum pro lubitu symbolum composuisse, neque Macarium episcopum,

---

*) Πίστιν δὲ ἐν μαθήσει καὶ ἐπαγγελίᾳ κτῆσαι καὶ τήρησον μόνην, τὴν ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας νυνί σοι παραδιδομένην κ. τ. λ.

**) .... Διὰ τοῦτο προασφαλιζομένη σε ἡ καθολικὴ ἐκκλησία παρέδωκεν ἐν τῇ τῆς Πίστεως ἐπαγγελίᾳ πιστεύειν εἰς κ. τ. λ.

***) Μέγα τοίνυν τῆς ἁγίας καθολικῆς ἐκκλησίας παράγγελμα καὶ δίδαγμα, πίστις περὶ νεκρῶν ἀναστάσεως,

sed jam ante Cyrilli tempora ecclesiam Hierosolymitanam hoc symbolo usam esse. Hoc quoque verisimile mihi videtur, Symbolum Hierosolymitanum jam ante concilium Nicaenum exstitisse, quo sane concisius et brevius est, ut supra jam monui. Tum vero etiam, Nicaeno jam ecclesiis tradito, Hierosolymitani aliud Symbolum componere non potuissent sine maxima patrum orthodoxorum offensione. Quare satis diu ante Nicaenam Synodum symbolum hoc Hierosolymis in consuetudinem venisse constat: quo ipso in saeculum tertium Symboli origo rejici videtur. Accuratius quid definire non possum. Nam ex ea, quae Jacobi vulgo appellatur liturgia,*) non licet quidquam colligere. Exstat nimirum in liturgia illa initium symboli: „Credo in unum Deum patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae, et in unum Dominum Jesum Christum filium Dei.“ Neque vero cernitur, utrum haec verba initium sint Symboli Cyrilliani an apostolici an Nicaeni. Accedit, quod ea, quam nos habemus, liturgiae Jacobeae formula inferioris sine dubio est aetatis quam liturgia Cyrilli, quae exstat in Catechesi quinta mystagogica. Quodsi ea insuper ante oculos nobis ponimus, quae egregie Neander de symbolorum origine monuit in historia ecclesiastica Vol. I. part. 2. p. 535—541., facile intelligimus, quare fieri non possit, ut tempus, quo symbolum compositum sit, accurate definiatur.

Restat, ut investigare conemur, quamdiu symbolum nostrum in ecclesiae Hierosolymitanae usu perseveraverit. Hoc enim notissimum est, inferiori tempore apud omnes orthodoxas Orientis ecclesias, seclusis omnibus symbolis privatis, solum Nicaenum sive Nicaeno-Constantinopolitanum in usu baptismi in-

*) Jacobi liturgiam edidit Assemanni in codice liturgico universae ecclesiae Vol. X. lib. IV. part. 2; itemque Augusti lingua vernacula in Archaeologia christiana Vol. VIII, p. 427.

valuisse. Hoc factum esse potest aliis locis citius, aliis serius. Temporibus autem concilii Chalcedonensis, anno 451. fere ubique Nicaeno jam usae esse videntur ecclesiae. Touttaeus in editione Cyrilli pag. 82. testimonia laudat probantia, saeculo sexto ineunte in ecclesia Hierosolymitana symbolo Nicaeno usos esse episcopos et presbyteros. Longum est hic testimonia illa repetere, quare in eo acquiescamus, quod pro certo habere licet, id, quo Cyrillus usus sit, symbolum in ecclesia Hierosolymitana per duo vel tria saecula viguisse, a tertio scilicet usque ad quintum vel sextum.

In fine hujus de symbolo Hierosolymitano expositionis non possum quin unum quoddam adjiciam. Vidimus omnia illa symbola unam eandemque fidem profiteri. Diversae illae multarum ecclesiarum voces in unam eamque suavissimam consonant harmoniam, quippe quum omnes profiteantur fidem in unum Deum patrem, in unum Dominum nostrum Jesum Christum, Dei filium unigenitum, qui homo factus est, passus est et resurrexit, et in unum Spiritum Sanctum. Sed licet una omnibus sit fides, verbis tamen iisdem non omnes utuntur. Videmus hic consummatam unitatem in libertate et maximam libertatem in unitate. Confessio Augustana in articulo septimo: „Non necesse est, inquit, ubique esse similes traditiones humanas, sive ritus aut ceremonias ab hominibus institutas.“ Utinam hoc numquam ii negligant, quibus cum in consistoriis tum in synodis saluti ecclesiae providendum est, ex intimo animo precor Deum Optimum Maximum. Hoc enim pro certo scio, gravius corpori Christi vulnus infligi non posse, quam id est, quod ecclesia accipit, quum libertate illa christiana conculcata, omnes cogantur machinae ad instar iisdem formulis uti in liturgia, iisdem verbis in instruendis catechumenis. Quare haec lex semper et ab omnibus teneatur: Sit unitas in libertate, sed et libertas in unitate. Faxit Deus, ut semper no-

tissimum illud apud nos vigeat: „Sit unitas in necessariis, libertas in non necessariis, charitas in omnibus.“

---

De doctrina Cyrilli jam dicturus, ita orationem instituam ut symboli ordinem sequar. Primo igitur capite doctrinam de Deo et de creatione exponam, altero doctrinam de Christo et de redemtione, tertio denique doctrinam de Spiritu Sancto atque de conversione, adjectis iis, quae de lavacro et de Eucharistia in Catechesibus mystagogicis leguntur.

---

## CAPUT I.

### De Symboli articulo primo.

#### §. 8. De Deo patre omnipotente.

Doctrinam de Deo Cyrillus exposuit Cat. IV, 4. 5. 6. brevissima quadam adumbratione, fusius autem Cat. VI—IX. Quare quae hoc loco exponenda sunt, ex his Catechesibus maximam partem depromi debent. Nusquam apud Cyrillum argumenta invenimus, quibus probet, esse Deum, qualia argumenta apud alios ecclesiae patres reperimus, apud Augustinum verbi causa in tractatu de libero arbitrio. Imo vero Noster fidem in Deum ubique ponit quasi fundatam in conscientia et pietate uniuscuiusque hominis. „Sufficit nobis, inquit, ad pietatem illud solum, ut sciamus Deum nos habere, Deum vivum, Deum semper vivum.“

Dei substantiam sive essentiam quasi incomprehensibilem Cyrillus descridit. Infinita Dei substantia a finita nostra ratione

comprehendi nequit. Fines terrae nescimus, licet terram inhabitemus. Terra autem ad totum coelum eam habet proportionem quam meditullium ad universum ambitum rotae. Si terram capere non potes, quanto minus coelum et coela coelorum? Quo pacto creatorem coeli et terrae digne animo efformare valebis? Non potes guttas imbrium numerare, quae in tectum tuum unius horae spatio decidere. Agnosce ex his tuam infirmitatem; hinc Dei potentiam disce. Nos omnes loquimur, sed quomodo id fiat, verbis exprimere non possumus. Animam nos omnes habere scimus, sed indolem ejus atque naturam edicere non possum. Quomodo eum juste describere valeam, qui linguam et animam nobis dedit?

Pulcherrime Cyrillus iis respondet, qui forte dicant plane non esse de Deo ejusque substantia loquendum, quum incomprehensibilis ille sit. Si totum fluvium ebibere nequeo, inquit, ne id quidem, quod mihi congruens est, modice hauriam? Aut quoniam in magnum hortum ingressus non omnes fructus comedere possum, visne tu me plane esurientem abire? Laudare Dominum volo, non explicare. Scio, quod digne eum laudare non possum, sed pietatis esse censeo, quocunque tandem modo id conari.

Quae his praemissis de essentia Dei Cyrillus exponit, digna profecto sunt, quae ab omnibus legantur. Sunt autem fere haec: Neque initium neque formam neque speciem Dei edicere possumus. Hoc enim si fieri posset, ratio nostra similitudinibus essentiam Dei attingere valeret. Deus est essentia omnibus modis absoluta atque perfecta, essentia mere spiritualis. Quodsi de alis, de oculis Dei Scriptura Sacra loquitur, aut Deus ignis nuncupatur, hoc non sensu corporeo est intelligendum, non anthropomorphistico et anthropopathico ut dicunt modo interpretandum, quoniam hujusmodi verbis absoluta Dei perfectio non quidem justo et idoneo modo sed pro pusillo

nostro intellectu declaratur. Nullo loco unus Deus includitur, quum ipse creator sit omnium locorum. Omne spatium Deus explet, neque ab ullo circumscribitur.

Quum autem consideratio Dei duplex sit, ut recte monuit Quenstedt in theologia didactico-polemica P. 1. cap. 8. thes. 1., absoluta atque relativa: transeundum fuit Cyrillo ad relativam Dei considerationem. Illa enim ad Deum pertinet consideratum essentialiter, citra respectum trium Deitatis personarum; haec ad Deum spectatum personaliter. Symbolum duplicem hunc Dei considerandi modum indicat, primum verbis: „credo in Deum", et deinde: „credo in Deum Patrem." De iis igitur Dei operibus hic disserendum, quae in theologia dogmatica „opera ad intra" appellare consuevimus. Atque hic ante omnia quaerendum, quid Cyrillus docuerit de Deo personaliter spectato. Non oportet solum in unum Deum credere, inquit, sed hunc etiam unigeniti, Domini scilicet Jesu Christi Patrem esse, credendum. Judaei quidem unum Deum esse credunt, Patrem autem Jesu Christi eum esse negant. Sed in Veteris Testamenti libris de Unigenito filio jam loquitur Deus, ut in Psalmo II: „Dominus dixit ad me, tu es filius meus, ego hodie genui te." Quare impietatis est et incredulitatis, negare Deum illum unum esse Patrem Domini nostri. Doctrinam de tribus Deitatis personis fusius hoc loco Cyrillus non exponit, quare et nos, Cyrillum sequentes, non doctrinam de Sacrosancta Trinitate hic explicabimus, sed ea tantum ante oculos ponemus, quae de Patre in septima oratione Cyrillus exposuit.

Patris nomen sua ipsius vi filii notionem animo subjicit, quemadmodum similiter, qui filium nominat, statim quoque de patre cogitat. Pater enim omnino nullius nisi filii pater est, atque filius omnino patris filius. Pater et filius nullo modo sejungi atque divelli possunt. Coelum et terra quidem ante

Filium in Symbolo nominantur, nullo autem modo id declarat, filium iis, quae Deus creaverit, esse inferiorem. Ne aequalis quidem est Filius ulli Dei creaturae. Filius non est creatura Patris. Deus enim Unigeniti Pater appellatur non καταχρηστικῶς, abusive, sed Pater ejus est „natura et veritate.“ Non tempore quodam Pater factus est Deus, sed semper est, semper fuit Pater Unigeniti. Deus est Pater ante omnem hypostasin, ante omnem notitiam, ante omne tempus, ante omnia saecula. Vides, quantum absit, ut Cyrillus cum Ario consentiat in doctrina de Patre et filio; vides, quantum absit Hieronymus a veritate, Cyrillum Arianis adnumerans. Sed hoc obiter tantum commemoremus: pergamus Cyrillum audire.

Aeterna Filii generatione, inquit, nullo modo Pater transmutatus est, nam apud Patrem luminum non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio (Jac. 1, 17.). Semper absolute perfectus est Pater, semper absolute perfectus est Unigenitus, ita ut in uno glorificemus et Patrem et Filium. Unde sequitur aliam esse eam communionem, quae inter Patrem intercedit et Filium, aliam quam nos habemus cum Patre. Et nos filii Dei sumus, neque vero natura et veritate, sed gratia et adoptione. De Unigenito enim Pater dicit: „Hic est filius meus.“ De nobis autem: „Hic nunc factus est filius meus.“ De illo solo dictum: „Est“, quandoquidem „in principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.“ Illi igitur convenit vox „Est“, cum sit semper filius Dei. Tibi vero competit „nunc factus est“, quoniam ut filius sis, non per naturam id habes, sed per adoptionem filii appellationem consequeris. Ille sempiternus est, tu vero ex profectu gratiam acquiris. Persaepe nimirum patris nomine Scriptura utitur, licet generatio naturalis non intelligatur. Paulus apostolus se patrem Corinthiorum esse dicit 1. Cor. 4, 15: „Si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, at non multos patres. Ego enim

in Christo Jesu per evangelium vos genui." Job (c. 29, 16.) patrem pauperum se fuisse dicit. Ita nos filii Dei appellamur, licet non simus natura. Sed videte, qualem charitatem dederit nobis Pater, ut filii Dei nominaremur. Obstupesco et Dei bonitatem et hominum ingratitudinem, qui coelesti patre derelicto, ligno dicunt: „Pater meus es tu", et lapidi: „Tu me genuisti." Jer. 2, 27. Nec solum idola sed etiam animarum perditorem, Diabolum nonnulli in patrem sibi eligerunt. Christus enim Judaeis: „Vos ex patre diabolo estis, inquit, et desideria patris vestri vultis facere." Joann. 8, 44. Joannes apostolus in prima epistola cap. 3, 10. de filiis Dei loquitur et de filiis diaboli. Hoc autem non ita intelligendum est, ut exstiterint inter homines nonnulli, quos diabolus creaverit. Etenim ita si res se haberet, inde sequeretur, alios natura salvos esse, alios natura perituros. Ut autem non ex necessitate quadam ad sanctam illam adoptionem nos provehimur, sed ex libero animi decreto: ita alii non ex necessitate sed ex libero decreto in perniciem ruunt. Judas exempli gratia neque natura neque necessitate proditor factus est. Paulus ex persecutore in praeconem et apostolum mutatus est non natura et necessitate, sed voluntate sua. Quae quum ita sint, spiritualiter conversemur, ut adoptione divina digni efficiamur, non diligentes mundum neque ea, quae in mundo sunt. Gloriam patri, qui in coelis est, per opera nostra afferamus.

Omnem sollicitudinem in eum projiciamus; scit enim pater noster, quibus rebus indigeamus. Perpulchre hoc loco iis, quae catechumenis de vita filiis Dei digna dedit, admonitionibus ea adjungit Noster, quae de pie colendis parentibus habuit dicenda. Vides, quam docte et ingeniose Cyrillus doctrinam de fide conjunxerit cum doctrina de moribus, quum apud nos haud raro utrumque parum recte divellatur. Vides, quanta pietate colendos parentes censuerit Cyrillus, alteram legis tabulam cum

prima conjungens, quintum praeceptum utrique tabulae adnumerans.

Consideratio Dei relativa non opera ad intra solum spectat, sed etiam opera ad extra. Exponendum igitur, quomodo Deum cognoscamus mundi respectu habito. Quare verbum Symboli jam explicat Cyrillus: Πιστεύω εἰς θεὸν παντοκράτορα. De omnibus Dei attributis ita Cyrillus sentit (Cat. 6, 7.), ut diversae unius divinae essentiae partes non sint, sed potius operationes (ἐνέργειαι) unius et ejusdem divinitatis. Non enim, quia vocatur bonus et justus et omnipotens et Dominus exercituum, idcirco varius est atque diversus. Qui multis nominibus appellatur et omnia potest, is uniformis est in substantia. In omnibus similis est sibi ipsi. Non in charitate solum magnus est et parvus in scientia, sed ejusdem potestatis et charitatem et scientiam habet. Non ex parte videns et ex parte visione privatus, sed totus oculus, totus auditus, totus ille est mens. Non, uti nos, ex parte intelligens et ex parte nesciens, imo praesciens omnium quae sunt, et sanctus et omnipotens et omnibus melior et omnibus major et omnibus sapientior.

Deus autem, qui in mundo cognoscendum se praebuit, qui mundum explet, non „anima mundi“ est, ut Graeculorum philosophi allucinantur. Non in mundo tantum Deus est, sed etiam extra mundum. Mundus non Deus est, immo Deus mundum ex nihilo creavit. Qui autem dicunt, in coela Deum inclusum esse, aeque a vero aberrant, immemores psalmistae dicentis: „Si ascendero in coelum, tu illic es. Si descendero in infernum, ades.“ Nam si coelo sublimius nihil est, cum infernus terra profundior sit, profecto qui inferiora occupat, terram quoque ipsam attingit. Omnibus Deus dominatur, omnia suae potestati habet subjecta. Qua de causa παντοκράτορα eum esse profitemur. Vox graeca „παντοκράτωρ“ non idem plane valet ac vox latina „omnipotens“, quae graece per παν-

τοδύναμος est reddenda. Παντοκράτωρ enim is est, qui omnia sub imperio tenet, qui omnia moderatur. Quum autem Latini omnes vocem „παντοκράτωρ“ in Symbolo reddant per vocem „omnipotens“, nos quoque hanc consuetudinem sequamur, quum aliam eamque meliorem latinam vocem invenire nequeamus.

Sed ad Cyrillum regrediamur, qui omnipotentia Dei eo quo exposuimus modo definita, ad eos accedit, qui haereticam doctrinam sequentes, alium animae Dominum esse dicunt, alium corporis. An vero perfectus Deus is haberi potest, qui animam et omnia spiritualia in potestate sua tenens, dominium in corpora atque omnia visibilia exercere non valet? Immo vel si omnis materies peccatrix esset, Deus imperio suo subjectam eam teneret. Nam non in bonos solum sed in malos etiam Deus dominatur. Peccare sinit malos, sed mala eorum voluntas fidelium saluti inservit. Hoc modo inimica fratrum Josephi voluntate usus est Deus ad consilia sua exsequenda. O sapientiae plenam providentiam Dei, quae ipsi diabolo luctari concessit, ut coronarentur ii, qui vincerent! Nihil igitur Dei potestati subtractum est. Omnes divitiae Dei sunt, non diaboli, ut nonnulli opinantur. Per prophetam enim dictum est: „Meum est aurum et meum argentum.“ Hagg. 2, 9. Non igitur anathemate damnanda est possessio divitiarum, Deus enim omnia, quae habes, in adjumentum tibi dedit. Fac solum bene utaris argento, nec amplius vituperandus eris. Justitiam ipsam per opes adipisci quis potest. Dominus enim: „Esurivi, inquit, et dedistis mihi manducare. Nudus eram, et cooperuistis me.“ *) Visne tu nosse, quomodo opes janua fieri possint regni coelorum? „Vende, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelis.“ **)

---

*) Matth. 25, 35.
**) Matth. 19, 21.

Haec fere ad explicandam primam primi articuli partem protulit Noster. Quum autem primis jam hisce ecclesiae saeculis acerrime esset dimicandum contra erroneam Gnosticorum aliorumque haereticorum de Deo doctrinam, Cyrillus non potuit quin haereticam doctrinam in orationibus catecheticis commemoraret atque refelleret. Quare brevem antiquiorum haerescon historiam ante oculos nobis ponit Cat. 6. De Simone mago, de Cerintho, Menandro et Carpocrate, de Ebionitis, de Marcione, de Basilide et Valentino disserit, diutius apud Manichaeos commorans. Sed novi quidquam de his haereticis ex mea quidem sententia Cyrillus non affert, adeoque nonnulla erronea narrasse videtur. Non valde mirandum est, quod fabulam illam notissimam de Simone Mago in romanorum Deorum numerum recepto, de Petro et Paulo apostolis per precationes eum vincentibus, Noster repeteret. Hoc autem miror, quod Touttaeus dicere potuerit, fabulam istam per Cyrillum non mediocrem confirmationem accepisse. Cyrillus enim ab aliis narrata repetit. Cyrillus Justino martyre, Irenaeo aliisque nititur, unde pro locuplete teste haberi nequit. Vide Neander in historia ecclesiastica Vol. I. t. 2. pag. 778 sqq., qui quum de fabula illa quid sit judicandum, optime exposuerit: plura de hac re addere non opus. De Cerintho, Menandro, Carpocrate et Ebionitis Cyrillus nil nisi nomina refert. De Marcione brevissime tantum dicit, Deos diversos eum praedicasse, alterum bonum, alterum justum; unum Domini nostri patrem et alterum opificem mundi. Neque vero his verbis, licet falsa prorsus non sint, accurate Marcionis doctrina describitur. Etenim iis Scripturae verbis, quae laudat Cyrillus, Joanni. 17, 25. Luc. 12, 28. Matth. 5, 45. Marcion non refutatur. A Marcione ad Basilidem procedit Cyrillus, temporis ordine non prorsus servato. Hic enim non excipit Marcionem, ut dicit Cyrillus, sed eodem fere tempore uterque vixit. Basilidem impudicitiae praeconem

fuisse dicit Cyrillus, nihil omnino addens de ejus doctrina. Diutius Noster in Valentino commoratur, haec fere dicens: Valentinus triginta Deos esse praedicavit, quum Bythus genuerit Sigen, ex Sige procreaverit Logon. Ex eo deinde octo Aeonas esse genitos atque ex illis decem, exque illis alios duodecim masculos et feminas. Novissimum autem inter triginta illos Aeonas locum obtinuit masculo-femina Sophia, quae Deum intueri conata, de coelo cecidit et e numero tricesimo ejecta est. Haec Sophia e suspiriis suis Diabolum genuit, et ex lacrymis suis mare effecit. Diabolus alios diabolos genuit, e quorum numero nonnulli mundum creaverunt. Quum Sophia excidisset, ne numerus triginta imperfectus remaneret, viginti novem Aeones, singulis minimum quidpiam conferentibus, Christum, qui masculo-femina est, fabricati sunt. Hic Christus in terram descendit, trajectus per Virginem ut per canalem, *) ut homines revocaret a creatore mundi.

Facile vides, multum a vero aberrasse Cyrillum in omnibus, quae de Valentini doctrina prodiderit. Neque enim ea recte intellexit, quae de Bytho Valentinus docuit, neque ea, quae de Aeonibus in ejus systemate dicta reperimus, adeo ut, si Valentini doctrina e Cyrillo tantum nobis cognita esset, mere polytheistica atque ethnica esset dicenda. Quid vero de redemtione senserit Valentinus, e Cyrilli verbis plane intelligi nequit. Nostrum non est, Valentini doctrinam hoc loco exponere, id modo addere mihi liceat: necessarium ex mea quidem sententia est, catechumenis eas quas pro erroneis habemus doctrinas ante oculos ponere, sed cavendum hac in re praeceptori, ne calumnietur adversarios. Hoc ante omnia ei curae sit, ut doctrinam adversariorum recte intelligat atque accurate

*) Sine dubio Cat. 4, 9. Cyrillus de Valentino loquitur, quum Irenaeus, Epiphanius et Theodoretus Valentini hanc doctrinam fuisse consentiant.

exponat: qua ipsa in re multum peccavit Cyrillus. Sed facile veniam ei dabimus, cogitantes de innumerabili eorum multitudine, quos socios Noster nactus est omnibus temporibus, non in romana solum sed in nostra etiam ecclesia. Hoc vero nos minime imitabimur, justitiam potius et aequitatem in adversarios etiam servabimus, ut Dominus noster praeceptum nobis dedit: „omnia, inquit, quaecunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.“

Procedit Cyrillus a Valentino ad Manetis Manichaeorumque haeresin, de qua permulta inveniuntur exposita in fine Catechesos sextae. Quibus de causis plura de Manichaeis disserenda censuerit Noster, facile intelligitur, quum errores eorum, ut dicit Cyrillus, „ante annos omnino septuaginta“ prodierint, atque hucusque homines superstites fuerint, qui Manetem suis oculis vidissent, ac denique ipse in auditorio suo quosdam haberet, e Manichaeorum secta conversos, ut apparet e Catechesi XV, cap. 3. Sed omnia ea, quae de Manetis historia narrat Cyrillus, utrum vera sint nec ne, nemo facile dixerit. Eadem fere Epiphanius, Socrates, ceterique scriptores graeci nobis tradiderunt, qui omnes ex actis disputationis hausisse videntur, quam Archelaus Cascarorum vel Carrharum in Mesopotamia episcopus cum Manete, habuisse dicitur. Permulta autem, quae a Graecis narrantur de Manete, nullo modo similia sunt veri. Multo magis mihi placent, quae scriptores orientales secutus D'Herbelotus narrat in Bibliotheca orientali tom. II. p. 549—551. Sed mirandum non est, Cyrillum Graecos scriptores secutum esse, quum neque hebraicam neque aliam orientalem dialectum intellexerit. Jam igitur videamus, quae de Manetis Manichaeorumque doctrina docuerit Noster. Manichaeos sine dubio significat, de haereticis loquens, qui duos Deos esse contendant, unum fontem boni, alterum fontem mali, utrumque non genitum sed aeternum. In doctrina de creatione Mani-

chaei non sibi constare videntur Cyrillo, quum alias dicant, malum Deum nihil habere commune cum bono in creatione mundi; alias autem, partem quartam mundi malo propriam esse. Adde, quod bonum Deum Christi patrem esse profitentur, Christum autem esse solem. Atqui mundus in potestatem mali reductus est, sol est in mundo, ergo sol in ditione mali est, et filius boni invitus malo inservit. Tantum autem abest ille haereticus, ut in hujusmodi insania acquiescat, ut se ipsum esse Paracletum contendat,*) atque blasphemiae in Spiritum Sanctum irremissibile scelus aperte committat.

Mira Cyrillus nobis narrat de ascetica Manichaeorum vita. Bona fide tradit, eos hoc docuisse: si quis herbam decerpit, in hanc ipsam herbam mutatur. Si quis animal interficit, in hoc ipsum animal mutatur. Quid, quaerit Noster, agricola pratum demetens, in qualem quaeso herbiculam infelix mutatur? Pastor, ovem mactans et lupum interficiens, utrum in ovem an in lupum debet mutari? Difficile est credere recte Cyrillum adversariorum doctrinam intellexisse, quum Manichaei non de hujusmodi metamorphosibus somniasse videantur, sed de animarum potius migratione seu metempsychosi. Omnis cum herbarum tum animalium vitae deletio caedes iis videbatur. Caedes autem ita hominis animam inquinat, ut purificari nequeat nisi per longam migrationem incipiendam in ea, quam homo interemerat creatura. — De haereticis matrimonium detestantibus passim Cyrillus loquitur. Neque vero placet hoc loco fusius ea de re disputare, nec magis foeda illa repetere, quae de Manichaeorum mysteriis, de Lavacro nimirum et Eucharistia significat Noster. Equidem haec omnia commenticia esse pro certo affirmare posse mihi videor.

---

*) Cat. VI, 25. XVI, 6.

## §. 9. De coeli et terrae creatore.

Divina natura oculis corporeis conspici nequit. „Nemo enim unquam Deum vidit.“ Prophetae similitudinem quandam gloriae Domini cernentes, tremebant. Deum ipsum, si quis intueri conaretur, vitam amitteret. Scriptum enim est: „Nemo videbit faciem meam et vivet.“ Ex operibus tantum divinis divinae potestatis notionem assequi possumus. Quo accuratius autem ea contemplamur, quae Deus creavit, eo melius Deum ipsum cognoscimus. Ex omnibus enim Dei operibus, cum minimis tum maximis, cum terrestribus tum coelestibus creatoris sapientia et potentia cernitur. Quodsi nonnulli dicunt, alium esse Domini nostri Patrem, alium mundi opificem; alium esse lucis conditorem, alium tenebrarum, ne credite iis quaeso. Quid enim habent, quod criminentur in iis, quae Deus creavit? Annon bona sunt omnia, quae Omnipotens fecit? Adspice solem „prodeuntem tamquam sponsum de thalamo suo.“ *) Cogita de sapientia ejus, qui solem in oriente educit, eumque ita constituit, ut aestate longiores efficiat dies, opportunitatem tribuens hominibus ad opera, hieme autem breviores, quietem afferens et hominibus et telluri. Quanta eorum stultitia, quanta amentia, qui noctem atque tenebras mali cujusdam numinis esse opus somniarunt! Diurno labore fatigati, noctibus renovamur. Quid? quando ad psalmos canendos, ad preces fundendos magis enititur mens nostra, quam in silentio noctis? Tenebras et bonas et utilissimas esse scimus, quare firmiter credimus, quod dictum est per prophetam: „Ego Deus, qui feci lumen et tenebras creavi.“ **)

---

*) Psalm. 19, 6.
**) Jes. 45, 7.

Neque solem tantum et lunam adspice sed innumerabiles etiam stellarum choreas. Praeclare de iis Scriptura: „Sint in signa, ait, et in tempora et in annos.“ *) Aliae enim serendi tempus indicant, aliae navigandi. Atque homo, in immensum mare navigans, stellas inspiciens navem dirigit. Neque igitur astrologiae et geniturae fabulis operam demus, sed ita coelorum exercitus aspiciamus, ut coelorum conditorem melius cognoscamus.

Videsne tu pluviam atque guttulas roris? Videsne tu nubium varias formas, audisne ventorum vocem tremendam? Interdum aqua in glaciem mutatur, interdum in nivem. In vitibus aqua fit vinum, oleum in oleis; in panem quoque convertitur et in omnia fructuum opificia. Rosae ruborem mihi contempleris velim et lilii candorem. Ex uno imbre prodierunt, ex una humo. Quis autem flores construxit, quis arbores, quis vites atque arundines? Non profecto conviciandus omnium opifex, sed potius adorandus.

Maris profunditatem et latitudinem quis mihi exponat, quis fluctuum impetus? Quis in mari degentium piscium et numerum et pulchritudinem exponere valeat? Quis cetorum magnitudinem et amphibiorum animalium naturam, quomodo degant in arida tellure atque in aquis? Quis aëriarum volucrum naturam potest speculari? Quomodo aliae linguam moveant canendi peritam, aliae in pennis omni picturarum genere variegatae sint, aliae in medium aëra supervolantes stent immobiles ut accipiter? Quis potest aquilam cernere in sublime elatam? Quodsi avem cogitatione assequi nequis, quo quaeso modo vis mente comprehendere rerum omnium conditorem? Quis ex hominibus ferarum omnium vel sola scivit nomina, aut quis singularum naturam et vim potest perspectam habere? Quodsi

*) Genes. 1, 14.

ferarum ne nomina quidem novimus, quomodo earum creatorem comprehendemus? Uno Dei praecepto factum est, ut ex uno fonte prodierit et ovis mansuetissima et leo carnivorus; serpens et vulpes et equus; formica desidem et pigrum exstimulans, et apis flores circumvolitans, ut mel tibi conficiat. Vade ad formicam o piger, eamque aemulare videns vias ejus, estoque illa sapientior.*) Quo modo apis flores adit, eo tu Scripturas divinas adi, et illis exsatiatus cum rege propheta: „Quam dulcia, dic, faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo.“**)

Nil eorum, quae Deus creavit, est otiosum. Tu quidem omnium herbarum vires animo complecti nequis. Omnem, quae ex quovis animali prodit, utilitatem addiscere nos non valemus. Jam vero ex ipsis viperis venenatis antidota ad salutem hominibus profecta sunt. Time Dominum et vipera non tibi nocebit. Time Dominum et leo sanguinis vorax ut olim Danieli tibi assidebit. Ex diversa opificii ratione efficaciam opificis intellige.

Quae in Catechesi nona de creatione Cyrillus disseruerit, ipsis fere Nostri verbis exponere mihi visum est. Mirari sane licet elegantem et compendiariam totius orbis partium descriptionem, mirari licet dexteritatem, qua Cyrillus ita omnia exponit, ut apta fiant ad doctrinam et aedificationem.

Visibilium igitur omnium creatorem esse Deum hac oratione docetur. Jam de invisibilibus, de angelis scilicet et de diabolo, quid senserit noster, audiamus.

---

*) Proverb. 6, 6.
**) Psalm. 119, 103.

## §. 10. De Angelis.

Non Cyrillo tantum sed omnibus hujus periodi Patribus propositum erat, ut Gnosticorum in Angelologia errores refutarent. Qua de causa non mundi opifices esse angelos, sed a Deo per Christum creatos cum omnibus Patribus Cyrillus distincte docuit.*) De tempore creationis angelorum nil in Cyrilli catechesibus dictum invenimus, recteque Cyrillus omnes istius modi nugas, quae aliis placuerunt, silentio praetermittendas censuit. Itaque ea potius audiamus, quae apud Cyrillum de natura et de munere angelorum exstant. „Spiritus" vocantur angeli in Scriptura sacra. Is igitur, qui Spiritus est sensu eminentissimo, Spiritus scilicet Sanctus, Paracletus, tertia Sacrosanctae Trinitatis persona, horum omnium praefectus et magister et sanctificator est.**) Nullam cum Spiritu Sancto illi paritatem et aequitatem sustinent. Ex eo, quod Cyrillus dicit in Catechesi XVI. de Spiritu Sancto, „quidquid spissum et densum corpus non habet, spiritus universe appellatur", conjicere quamquam licet, tenuia et splendida corpora angelis eum tribuisse, disertis tamen verbis hanc sententiam expressam non inveni.

Habitatio angelorum coelum est. Ex habitatione eorum addisce, quanta angelorum sit multitudo.***) Nam pro quorumlibet locorum magnitudine numerus incolarum est aestimandus. Orbis terrarum quasi punctum est in medio unius coeli. Tanto major igitur est numerus angelorum quam hominum, quanto coelum majus est quam terra. Ingens quidem est omnium, qui

*) Cat. 11, c. 21.
**) Cat. 16, c. 23.
***) Cat. 15, c. 24.

omnibus temporibus degerunt, hominum multitudo, sed multo copiosiores angelorum exercitus. Angeli nonaginta novem illae oves sunt, genus humanum autem una perdita ovis est. „Mille millia ministrabant ei et decies millies dena millia assistebant ei“, dicit Propheta,*) non quod hoc numero angelorum multitudo finitur, sed quod ampliorem numerum exprimere non potuit Daniel. Ut numerus angelorum indefinitus, ita ordines quoque eorum definiri nequeunt. Ipse Cyrillus non sibi constat in iis enumerandis. Hos fere nuncupat Cat. 16, c. 23: „Innumerabilia angelorum millia in coelo primo. Tum in altioribus Archangeli et Spiritus, Virtutes et Principatus, Potestates, Throni et Dominationes.“ Liturgiam explicans in Catechesi mystagogica quinta Spirituum ordinem omittit, Angelos tantum enumerans, Archangelos, Virtutes, Dominationes, Principatus, Potestatus et Thronos, sed Cherubim et Seraphim insuper addens. Hi omnes pro ordinum diversitate in diversis coelis constituti, Deum vident,**) non quidem sicut est, sed quantum ipsi capere possunt. Ipse enim Jesus: „Non quod Patrem vidit quisquam, inquit, praeter eum, qui ex Deo est, hic vidit Patrem.“***) Vident angeli quantum capaces sunt, et archangeli ut possunt, et throni et dominationes excellentius quam illi primi, ipsa tamen rei dignitate multo inferius. Unus tantum videre potest sicut oportet una cum Filio, Spiritus Sanctus.

Sancti quidem angeli jure vocantur, nihilominus autem Deus habet, quod iis condonet.†) „Nesciens quanta illis condonaverit. Unus solus autem absque peccato est, qui nos a peccatis purgat, Jesus.“ Neque de sacerdotibus hoc loco Cyrillum

---

*) Dan. 7, 10.
**) Cat. 6, c. 6.
***) Joann. 6, 46.
†) Cat. 2, c. 10.

loqui neque de Satana ejusque angelis, constat inter omnes. Quum autem de bonis angelis sermo sit, quomodo eos peccare dici potest? Ipse Cyrillus*) hanc partem orationis Dominicae: „fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra“ ita interpretatur: „sicut in angelis fit Dei voluntas, ita et in nobis fiat.“ Cyrilli de hac re sententia celeberrimo illo Jobi loco nihil mihi videtur: „Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem.“ **) Quare nullus dubito, quin consentiat Noster cum Gregorio Nazianzeno, qui asserere non audet, angelos peccare omnino non posse, sed id tantum dixit, peccare difficile eos posse. Hanc Gregorii sententiam egregie Dr. Ullmann exposuit in libro: Gregorius von Nazianz der Theologe, p. 495. 496. Sed haec hactenus.

Jam videamus, quid de angelorum munere docuerit Noster. Supra jam dictum est, voluntatem Dei eos facere, Dei ministros eosdem esse. ***) Christum angelorum Dominum esse diversis verbis Cyrillus docet, †) quare angeli saepe ei ministrasse dicuntur. Quum ex Virgine nasciturus esset, subservivit ei Gabriel. Quum profecturus esset in Aegyptum, ut diruerent Aegypti idola, iterum angelus in somnio apparuit Josepho. Post tentationem in deserto angeli accesserunt et ministrarunt ei. Crucifixus quum resurrexisset, angelus annuntiavit et sedulo ad instar ministri dixit mulieribus: „Profectae dicite discipulis ejus, quod resurrexit et praecedit vobis in Galilaeam. Ecce dixi vobis.“ Adeoque in coelum ascendenti Domino angeli adstabant.

Neque vero Dei patri solum et filio subservivunt angeli, sed etiam hominibus. Angeli enim Mariam consolati sunt dicentem:

---

*) Cat. 23, c. 14.
**) Job. 4, 18.
***) Cat. 23. l. l.
†) Cat. 10, 10.

„Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum.“ *) Nostram salutem exspectat coelestis angelorum exercitus. De nostra salute gaudent in coelis. Baptismo frequentes assistunt. **) Coram Deo sistitur baptizandus, multis angelorum myriadibns praesentibus. In extremo judicio omnes angelica tuba advocabit, atque multis testibus adstantibus nos judicium ingrediemur. Unde facile intelligimus, omnia quae de angelorum natura et munere disseruit Cyrillus, e Scriptura Sacra depromta atque in ea fundata esse. Ne verbum quidem invenitur de angelis tutoribus, de angelorum invocatione et hujusmodi rebus, quas alii superstitiose magis quam pie docuerunt. Angelologia absoluta, jam ad

## Daemonologiam

accedamus. Multum habet Cyrillus de Satana, multum de daemonibus, quae omnia hoc loco colligenda putavi. Primum igitur de Satana ipso loquendum. Principium formationis Dei esse diabolum, Cyrillus dicit, ***) locum illum in libro Jobi †) ut videtur respiciens, ubi de Behemoth Dominus: „Ipse, ait, principium viarum Dei est.“ Bonus ille creatus est, et diabolus propria voluntate factus est. Fuit archangelus et postea a calumniando diabolus dictus est. Causa lapsus fuit superbia secundum verba Ezechielis prophetae: ††) „Elevatum est cor tuum ex decore tuo. Propter multitudinem peccatorum tuorum et propter peccata tua vulneratus es et in terram projeci te.“

---

*) Cat. 14, 12.
**) Procatech. 15. et Cat. 3, 3.
***) Cat. 8, 14.
†) Job. 40, 19. (vulgo 40, 14.)
††) Ezech. 28, 16. 17.

Cor diaboli incudis instar inflexibile est, et voluntatem poenitentiae nesciam habet.*)

Ille est auctor peccati, primos generis humani parentes seducens. Ad virum accedere propter firmitatem non ausus,**) ad mulierem tamquam ad imbecilliorem accessit. Omnibus hominibus peccata ille suggerit, sed cogere neminem potest. Ostium tuum claude et procul a te illum fuga, nec tibi nocebit. Malam cogitationem tibi subjicit; si voles, admittis; si nolis, non admittis. Nam licet perastutus sit daemon et in angelum lucis nonnunquam transformetur, tamen Deo omnipotenti subjectus est, nec iis nocere potest, qui fiduciam ponunt in Deo. Baptizandis imprimis vigilandum est atque precandum, quippe quum draconis ad instar juxta viam Diabolus transeuntes observet, fidemque corrumpere conetur. Maximum autem scelus ante Christi reditum committet, hominem quendam producturus magum atque perversarum artium peritissimum. Hic romani imperii dominationem usurpabit et falso se Christum appellabit, per hanc appellationem Judaeos, Messiam exspectantes, decepturus, Gentiles magicis praestigiis pertracturus.

Haec de Satana docet Cyrillus. Haud sane a re alienum esset, ea hoc loco exponere, quae Catech. 3. et 12. de diabolo victo legimus. Sed quum de hac re pluribus exponendum sit in articulo secundo, jam quae de daemonibus senserit Noster, audiamus.

Daemones Spiritus vocantur, quia spissum et densum corpus non habent. Videtur tenue quoddam corpus eis tribui, ut supra de angelis jam monui. Quae in epistola illa ad Augustinum Hipponensem episcopum de vultu et forma daemonum nugatus est auctor, ea profecto Cyrillo nostro haud tribuenda

*) Cat. 4, 1.
**) Cat. 12, 5.

sunt. Etenim haec epistola ineptissimis fabulis referta, spuria sine dubio est. — Angelos initio fuisse spiritus hosce malignos, innuit Cyrillus dicens, Satanam cadentem multos secum abstraxisse. Quare neque eorum sententia Cyrillo placere videtur, qui daemones ex bonis angelis paulo ante diluvium dumtaxat factos, et amore mulierum corruptos, felicitatem status sui amisisse docent; neque eorum, qui inter angelos Satanae et inter daemones distinguendum esse censent. Daemones enim, ut Satanae imitatores atque satellites ipsique subjectos, vocare solet „Spiritus Mali (τοῦ πονηροῦ)“ et „Potestates Mali“.

Irrumpunt hi daemones in hominum animas, tamquam lupi in oves. Alieno corpore tamquam proprio abuti conantur. Stantem dejiciunt, linguam invertunt, labia contorquent, sermonum loco spumam exprimunt. Tenebris mergitur homo. Apertus est oculus sed nil videt anima per illum. Palpitat et tremit miserabilis homo mortem ante oculos videns. Vere hominum hostes sunt daemones, qui tam foede sine ulla misericordia iis abutuntur. Adversariae hae potestates in membris eorum latitant atque nidulantur, qui nondum baptisati sunt.*) Christus autem vim eorum dissolvit et exspolians principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans de illis in ligno. Quare Crucifixum nobis annuntiantibus tremunt daemones. Ne ergo Christi crucem erubescamus. Palam in fronte te cruce obsigna ut daemones, regium signum intuentes, procul fugiant tremebundi. Christo profecto omnia coelestia et terrestria sunt subjecta. Christus ut ipse abigendorum daemonum habet potestatem, ita ecclesiae eandem reliquit potestatem. Qua de causa cum affectu exorcismi sunt suscipiendi. Aurum absque igne non potest expurgari; ita anima sine exorcismis expurgari nequit. Salutares sunt cum insufflationes tum exorcismi, quibus

*) Cat. mystag. 2, 2.

in baptismo utimur. Fugit enim inimicus daemon, manet salus. Anima a peccatis repurgata salutem consequitur.

## §. 11. De hominibus.

Homo maximum omnium opus Dei est. Totus mundus propter hominem creatus est. Sol splendidissimis falguribus micat, sed factus est ut hominibus luceat. Omnia animalia ut nobis serviant constituta sunt, herbae et arbores in usum nostrum creatae. Omnia opera Dei bona sunt, sed nullum eorum praeter hominem imago Dei est. Omnes creaturae mandato divino, solus homo manibus divinis efformatus fuit, ut scriptum est: „Faciamus hominem ad imaginem nostram et ad similitudinem.“*) Sed ipse homo duplex institutus est, ex anima scilicet et corpore constitutus. Unus idemque Deus autem animarum et corporum creator est. Nolite credere iis, qui impie docuerunt, alium esse animae opificem et dominum, alium corporis. Quomodo enim duorum dominorum servus esse potest homo, Domino in evangelio dicente: „Nemo potest duobus dominis servire?“ Ne igitur feras quemquam eorum, qui alienum a Deo corpus esse dicunt. Quid enim est, quod in corpore hoc admirabili criminentur? Quam artificiosa corporis structura! Oculorum formatio splendidissima, aures in obliquum flexae jacentes, ut auditum sine impedimento admittant; nasus odores admittendi vi pollens; lingua et gustatus et loquendi facultatis administra. Pulmo in abditis locis positus irrequieta aëris adspiratione donatus est. Quisnam perpetuum cordis pulsum indidit? Quis in tot venas arteriasque sanguinem distribuit? Quis nervis ossa tam sapienter implicata colligavit?**)

---

*) Catech. 12, 5.
**) Cat. 4, 22.

Praestantissimum autem Dei opus anima est, juxta imaginem conditoris facta. Omnes quidem animae sive virorum sive mulierum similes sunt, sola corporis membra distinguuntur. Immortalitate animam Deus donavit. Rationem ei largitus est. Liberae potestatis est anima, ut faciat quae velit. Atque ex his donis illud „ad imaginem" accepit; alterum vero „ad similitudinem" amisit per inobedientiam. *)

Jam vero unde venit homini inobedientia? Unde venit peccatum? Deus hominem rectum creavit. Ipsius enim sumus factura creati ad bona opera, inquit apostolus. **) Quare ut diabolus non peccavit ex necessitate quadam naturae, ita et homines non ad peccandum coacti sunt, alioquin in eum, qui tales fecisset homines, ipsa peccandi causa recurreret. Adde, quod anima priusquam in hunc mundum venit, nihil peccavit. ***) Absque peccato venimus, nunc ex libera voluntate peccamus. Ne quis mihi dicat scriptum esse: „Induravit Dominus cor Pharaonis" etc. †) et iterum: „In quibus Deus saeculi hujus excaecavit cogitationes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii." ††) Quid? nonne Jesus ipse dixit: „Ideo ipsis in parabolis loquor, ut videntes non videant?" †††) Numquid ex odio volebat, ut non viderent? An potius propter eorum indignitatem, quandoquidem oculos ipsi suos occluserant? Ibi enim gratiam Deus subtrahit, ubi voluntaria pravitas adest. *†) Sunt autem qui dicant, corpus esse causam peccandi. At, si

---

*) Cat. 14, 10.

**) Cat. 2, 1.

***) Satis aperte animarum praeexistentiam hoc loco Cyrillus docere mihi videtur, qui quamquam nullo alio loco accuratius de ea tractat, hic certe obiter eam respicit.

†) Exod. 10, 1. al.

††) 2 Cor. 4, 4.

†††) Matth. 13, 13.

*†) Cat. 6, 23.

corpus est causa peccati, quare mortuus non peccat? Gladium admove dextrae hominis nuper mortui, et caedes nulla fiet. Omnia pulchritudinum genera coram juvene recens mortuo transeunt, et nulla scortandi cupiditas oborietur. Quamobrem? quia corpus per seipsum non peccat, sed anima per corpus. Corpus est animae instrumentum, et veluti indumentum atque amictus. Quodsi ab ea ad peccandum applicetur, immundum fit; si vero animae sanctae conjungatur, fit templum Spiritus Sancti. Anima igitur ex libera voluntate peccat diabolo suggerente, et in hoc omnium animae similes sunt, neque enim est ordo animarum natura peccantium, et ordo natura juste agentium, ut haereticorum nonnulli dixerunt, sed unaquaeque anima libera atque sui juris est. Dux autem et auctor peccati non tam homo est quam diabolus. Per hunc enim primus noster parens Adam expulsus est, ac paradisum sponte sua admirabiles fructus ferentem cum terra spinas ferente permutavit. Praeceptum violavit primus a Deo conditus homo, Adam; fratricida factus est primus partu editus homo, Cain. Nos omnes cecidimus, excaecati sumus, claudi sumus effecti, in summa mortui sumus. Per unum enim hominem mors ad omnes pertransiit,*) et sententia mortis in Adamum dicta ad Moysen quoque pervenit, quamvis justus et admirandus vir fuerit, et ad omnes qui post Adamum in terra degerunt, quamvis non peccaverint aeque atque Adam, lignum per transgressionem degustans.**)

Dira res est peccatum et morbus animae acerbissimus, si quidem illud et nervos hominis succidit eique ignem aeternum adducit. Sed quid tandem est peccatum? Estne animal an angelus an daemon? Non est hostis, qui te extrinsecus invadat, sed est mala soboles a te ipso procrescens. Malum est pecca-

---

*) Catech. 13, 28. Rom. 5, 12.
**) Cat. 15, 31.

tum sed non immedicabile. Supponas aliquem in manu ignem tenere; quamdiu quidem carbonem retinet, procul dubio uritur. Si vero carbonem abjiciat, una id quod urebat, excussit. Decepti perimus, sed spem habemus salutis. Cecidimus, sed resurgere licet. Mortui sumus, sed is, qui Lazarum quatriduanum atque foetentem excitavit, facilius te adhuc viventem excitabit. Qui pretiosum sanguinem pro nobis effudit, ipse nos a peccato expediet. Si enim primus de terra fictus homo universalem attulit mortem, nonne ille qui eum finxit, qui ipse est vita, aeternam afferet vitam? Et si tunc per lignum, de quo ederunt, ejecti sunt e paradiso, nonne per lignum Jesu nunc multo facilius in paradisum ingredientur credentes?

Haec fere de peccato docuit Cyrillus, cui Gnosticos et Manichaeos oppugnandos fuisse patet. Qua in re, quod ipsi Augustino contra Manichaeos disputanti, idem Cyrillo contigit, ut nonnulla contra doctrinam de peccato originali effudisse videatur. Pelagiana haeresis nondum exorta fuit, quare de iis rebus, de quibus postea disputatum est inter Pelagianos et Orthodoxos, liberius loquitur. Neque vero Pelagii sententiam Nestro placuisse, neque Pelagianum fuisse Cyrillum, ex iis quae proposui, probari potest. Numquam nos obliviscamur, doctrinam ecclesiae non subito absolutam omnibus modis fuisse, sed paulatim eam fuisse excultam atque amplificatam. Longum sane iter per gravissimas dimicationes maximosque labores emetiendum fuit, antequam ad eum, quo nobis nunc frui licet, finem perveniremus.

---

## CAPUT II.

### De symboli articulo altero.

Cyrillus, symboli ordinem secutus, orationes de Jesu Christo ita instituit, ut Cat. decima de uno Domino nostro disserat, atque nomina ejus, „Jesus" scilicet et „Christus" explicet, undecima ad naturam Christi divinam pergat, duodecima de eo quod homo factus est Dei filius verba faciat, tum ad crucifixionem et sepulturam advertat animum. Hanc orationem ea sequuntur, quae de resurrectione et ascensione dicenda putavit Noster. Extrema denique alterius articuli verba de adventu Christi secundo deque judicio extremo Cat. XV. Cyrillus catechumenis explicavit.

De his utique gravissimis christianae fidei dogmatibus quid senserit Noster, jam mihi investigandum. Id quod optime sic mihi instituere posse videor, ut eo quem hic ipse secutus est ordine derelicto, duodecimo paragrapho quae ad historiam Domini in Evangeliis traditam attinent, brevissimo quodam conspectu proposita exhibeam; tum §. 13. doctrinam de utraque Christi natura exponam, postremo §. 4. de officio Christi mediatorio disseram.

### §. 12. De vita Jesu Christi humana.

Quae de vita Jesu Christi humana catechumenis prodidit Noster, evangeliis canonicis quae dicuntur omnino nituntur. Nusquam ineptissimarum fabularum, quibus apocrypha ut dicunt evangelia scatent, mentionem fecit Cyrillus.

Angelus Mariae virgini Christi nativitatem annuntiavit. Pastores prope Bethlehem per angelos de Domino nato certiores

facti sunt. Natus est Christus in civitate Davidis, cujus rei testis est ipse beatus omnibus notissimus praesepii locus.*) Ante paucos annos locus ille sylvestris fuit,**) nunc autem templo ornatus, Helenae et Constantini filii munificentia exstructo. Quae de Simeone propheta et de Anna prophetissa, de magis Christum adorantibus, de Jesu cum parentibus in Aegyptum profecto tradiderunt evangelistae, ea omnia Cyrillus commemorat Cat. 10. et 12. De miraculis Christi quae in iis quas modo laudavi Catechesibus attulit, ea repetere longum est. Jam quae de historia passionis dominicae apud Illum exstant, afferamus. Nihil eorum, quae in evangeliis tradita sunt, ignotum fuisse videtur Cyrillo. Hortum Gethsemane et Judam proditorem, Annam et Caipham sacerdotes magnos, Petrum qui Dominum suum denegavit, Pilatum et Herodem, milites Jesum deridentes, Judaeos sanguinem justi sitientes, filias Hierusalem Dominum deplorantes pulcherrime Noster tradit. Jesum nobis ante oculos ponit flagellis caesum et spinis coronatum. At mirum in modum mihi placet, quod Noster dixit Cat. 13, 18: „Accepit condemnationem Adam: „„Maledicta terra in operibus tuis, spinas et tribulos producet tibi.““ Propterea Jesus spinas assumit, ut solvat maledictionem, et idcirco sepultus est in terra, ut quae maledicta fuerat tellus, pro maledictione benedictionem reciperet.“ Jesus cruci affixus est in hoc ipso sancto Golgatha. Saepissime hunc locum prope adesse dicit Cyrillus, quare in nova Constantini basilica orationes has catecheticas eum habuisse dubitari nequit. Crucifixus quum exclamaret: „sitio“, myrrhatum vinum et acetum bibendum ei dederunt. Latronem lux aeterna illuminavit, ut contemtum et una crucifixum adoraret. „Memento, inquit, mei, Domine, cum veneris in regnum tuum.“

---

*) Cat. 10, 19.
**) Cat. 12, 20.

Vitae finis salutis initium ei fuit, Christus enim: „Amen dico tibi, respondit, hodie mecum eris in paradiso.“ De paradiso, in quem latro perductus est, variae et veterum et recentiorum theologorum cum ferantur opiniones, nil certum definire mihi videtur Cyrillus; quare non video quibus de causis Touttaeus contendat, paradisum terrestrem hic intellexisse Cyrillum, unde expulsus fuerit Adam. Immo de loco quodam coelorum ex Cyrilli sententia cogitandum esse, ex iis colligere posse mihi videor, quae legimus Cat. 13, 31. Etenim hoc loco ad latronem dicit: „Ne timeas serpentem; non ejiciet te, cecidit enim de coelis.“ —

Milites qui Christum crucifixerant, pallium dividunt, tunicam sortiuntur, ut praedictum erat per Davidem prophetam. Tenebrae factae sunt ab hora sexta usque ad nonam, sol defecit propter justitiae solem. Inclamavit Dominus ad patrem, dicens: „Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.“ Quae quum dixisset, dimisit spiritum. Et ecce, quoniam caro Domini, velamen divinae ejus gloriae, ignominia fuit affecta, idcirco templi typicum velum discissum est. Imo petrae scissae et monumenta mortuorum aperta, et mortui resurrexere propter eum, qui moriens mortem devicit. Lancea miles latus Domini aperuit, quo facto aqua et sanguis e latere profluxit. Monumentum, in quo corpus Salvatoris conditum est, proximum adest, et ostio impositus lapis ad hunc usque diem prope sepulcrum jacet.

Antequam de resurrectione et ascensione Domini dicam, de iis pauca monenda putavi, quae de ligno crucis apud Cyrillum leguntur. Supra jam demonstravi, locum passionis et resurrectionis dominicae, quem hodie nobis ostendunt, pro vero esse habendum, atque iis, quae ab antiquis nobis tradita sunt,

---

*) Cat. 13, 39.

fidem hac in re esse adhibendam. Hic vero exoritur quaestio, num ea quoque creditu digna videantur, quae de ligno crucis ab Helena reperto vulgo narrantur? Audiamus hanc narrationem, ut postea, Cyrillo teste adhibito, judicium nostrum proferamus.

Omnia, quae ad crucis inventionem spectant, cum vetustiora tum recentiora testimonia diligentissime collegit Jacobus Goetserus in opere notissimo „de Cruce Christi", tom. I. p. 190 sqq. et tom. II. p. 1 sqq. unde, quae huc pertinent, potiora afferam. Ac vulgo quidem haec fere traduntur. Helena, Constantini mater, quum post synodum Nicaenam Hierosolyma venisset, retecto Domini Sepulcro: „Ecce, ait, locus pugnae, ubi est victoria? Quaero vexillum salutis, et non invenio. Ego, inquit, in regnis, et crux Domini in pulvere. Ego in aureis, et in ruinis Christi triumphus ille adhuc latet; et latet palma vitae aeternae. Quomodo me redemtam arbitror, si redemtio ipsa non cernitur? Video quid egeris, diabole, ut gladius, quo peremtus es, obstrueretur. Sed Isaac obstructos ab alienigenis puteos erudenavit, nec latere aquam passus est. Tollatur igitur ruina, ut vita appareat; promatur gladius, quo veri Goliae caput est amputatum, aperiatur humus ut salus fulgeat. Quid egisti diabole, ut absconderes lignum, nisi ut iterum vincerevis? Vicit te Maria, quae genuit triumphatorem, quae sine immutatione virginitatis edidit eum, qui crucifixus vinceret te et mortuus subjugaret. Vinceris et hodie, ut mulier tuas insidias deprehendat. Illa quasi sancta Dominum gestavit; ego crucem ejus investigabo. Illa genuitum docuit, ego resuscitatum. Ita fecit, ut Deus inter homines videretur: ego ad remedium peccatorum divinum de ruinis elevabo vexillum."*) De ipsa crucis inven-

*) Ambrosii in obitum Theodosii oratio §. 43 sqq. opp. tom. II. p. 1209. ed. Bened.

tiones variae exstant narrationes, quarum notissimas hic repetere sufficiat. Rufinus in libro I. hist. eccl. cap. 7. et 8. breviter dicit, Helenam fano Veneris diruto, loco divinitus designato, tres cruces invenisse, quarum quaenam crux Domini esset, miraculo patefactum. Paullo accuratius Theodoretus in libro I. hist. eccl. cap. 18. locum inventionis definit, dicens, juxta dominicum sepulcrum*) tres apparuisse cruces, atque Domini crucem miraculosa aegrotae sanatione cognitam esse. Socrates autem**) cruces in sepulcro repertas esse contendit. Mihi verisimillima ea videntur, quae Sozomenus habet,***) scribens: quum locus expurgatus esset, ad partem apparuisse resurrectionis antrum, at ex altera parte ejusdem; haec tres repertas esse cruces.†) Etenim de loco quo milites romani post crucifixorum mortem cruces abjecerint, si quid definire liceat, hoc mihi persuasum habeo, cruces non esse quaerendas in horto Josephi, sed in orientali potius Golgathae declivitate, prope tramitem publicum, qui ex Urbe in collem eduxit. Eadem de loco inventionis crucis dominicae opinio hodie apud Hierosolymitanos invaluit. Etenim supra jam monui, occidentalem ecclesiae partem Sepulcrum dominicum occupare. Orientem versus Graecorum magnificum templum invenimus. Post altare primarium porticus est, tribus sacellis ornata, quorum primum sive septentrionale Centurioni Longino est dicatum, quem latus Domini lancea aperuisse evangelium apocryphum Nicodemi tradit; medium sive orientale „sacellum distributionis vestium" nuncupatur; tertio sive australi nomen: „sacellum derisionis" datum est. Inter distributionis vestium et derisionis sacella

*) παρὰ τὸ μνῆμα τὸ δεσποτικόν.
**) hist. eccl. lib. I, c. 13.
***) hist. eccl. lib. II, c. 2.
†) ἐν μέρει τὸ τῆς ἀναστάσεως ἀντρον, ἑτέρωθι δὲ περὶ τὸν αὐτὸν τόπον τρεῖς εὑρέθησαν σταυροί.

scalae triginta graduum in cryptam deducunt, quae „sacellum Helenae“ appellatur. Quae quidem crypta, quindecim pedes sub ecclesia sita, quinquaginta pedes longa est, et quadraginta tres pedes lata. Tholus lucem afferens in atrio monasterii coptici cernitur. Vetustissimam esse hanc cryptam columnae fornicem sustinentes demonstrant. In angulo euronotum verso scalae duodecim graduum in aliud subterraneum sacellum deducunt. Sine ullo ornamento e rupe excavatum, perhumile et parvum hoc sacellum speciem cisternae potius habet quam templi. Ac tectum inspicientibus apparet, supremam ejus partem non e rupe excisam sed lapidibus et caementis exstructam esse; unde elucet, quondam apertum fuisse hunc locum eodem plane modo, quo innumerabiles in Palaestina videmus cisternas. Hoc sacellum, quod cisternam quondam fuisse nullus dubito, sub orientali Golgathae declivitate situm, locus inventionis Crucis est. Quid igitur? Nonne verisimile est, cruces post mortem crucifixorum in cisternam quandam arefactam, quae prope aderat, fuisse abjectas? Quae primo intuitu ipse locus aperte docet, ea optime conveniunt cum Sozomeni narratione, quam supra laudavi. Quare quid impediat, quominus credamus cruces in cisternam esse abjectas, equidem non video, indeque Helena si omnino cruces invenerit, eo loco id factum esse, quem ad hunc usque diem Hierosolymis conspicimus, tenendum mihi videtur. Haec fere de loco inventionis monenda putavi: jam ad alteram narrationis partem accedamus, qua quaeramus, quo modo crux dominica cognita fuerit. Qua quidem in re admodum sibi contradicere rerum scriptores facile intelligitur. Ambrosius loco laudato titulum a Pontio Pilato conscriptum narrat cruci adhuc affixum fuisse.*) Cui assentit

*) „Aperit humum, decutit pulverem, tria patibula confusa reperit, quae ruina contexerat, inimicus absconderat. Sed non potuit

Chrysostomus*) haec scribens: „Cum crucis signum defossum fuisset nec illud quispiam eruere auderet instante metu, cum fideles aliis rebus urgentibus incumberent et tamen futurum esset, ut consequenti tempore crux perquireretur, et tres cruces una jacerent, ne ignoraretur quaenam Domini fuisset, primo quod in medio esset, deinde ex titulo agnita fuit; latronum quippe cruces titulos non habebant.“

Sed Rufinus, Socrates, Sozomenus et Theodoretus miraculo quodam crucem Domini cognitam esse contendunt. Feminam nimirum nobilem quandam gravi aegritudine confectam seminecem eo die, quo tres cruces inventae fuerint, jacuisse narrant. Tum Macarius episcopus hujusmodi ad Deum precem profudit: „Ostende evidenter, ex his tribus quae crux fuerit ad dominicam gloriam, vel quae exstiterit ad servile supplicium, ut haec mulier, quae semiviva decumbit, statim ut eam lignum salutare

---

obliterari Christi triumphus. Incerta haeret ut mulier, sed certam indaginem sanctus Spiritus inspirat, eo quod duo latrones cum Domino crucifixi fuerint. Quaerit ergo medium lignum, sed poterat fieri, ut patibula inter se ruina confunderet, casus nudaret et inverteret. Redit ad evangelii lectionem, invenit, quia in medio patibulo praelatus titulus erat: „Jesus Nazarenus Rex Judaeorum“. Hinc collecta est series veritatis. Titulo crux patuit Salvatoris. Hoc est, quod petentibus Judaeis Pilatus respondit; „Quod scripsi, scripsi“; id est: non ea scripsi, quae vobis placerent, sed quae aetas futura cognosceret, non vobis scripsi, sed posteritati, propemodum dicens: Habeat Helena, quae legat, unde crucem Domini recognoscat. Invenit ergo titulum, regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis est error et vanitas impiorum, sed adoravit illum, qui pependit in ligno.“

*) homil. 85. in Joann. cap. 19, v. 19. ed. Bened. tom. VIII, p. 505. Ἐπειδὴ κατεχώσθη τοῦ σταυροῦ τὸ ξύλον, ὡς οὐδενὸς αὐτὸν ἀνελέσθαι σπουδάζοντος τὸ καὶ φόβον ἐπικεῖσθαι, καὶ πρὸς ἕτερα κατεπείγοντα τοὺς πιστεύοντας σπεύδειν· ἔμελλε δὲ χρόνοις ὕστερον ἐπιζητεῖσθαι· εἰκὸς δὲ τοὺς τρεῖς ὁμοῦ κεῖσθαι σταυρούς· ἵνα μὴ ἀγνοῆται ὁ τοῦ δεσπότου, πρῶτον μὲν ἀπὸ τοῦ μέσον αὐτὸν κεῖσθαι, ἔπειτα δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ τίτλου δῆλος πᾶσιν ἐγένετο. οἱ γὰρ τῶν λῃστῶν τίτλους οὐκ εἶχον.

contigerit, a mortis januis revocetur ad vitam." Quae quum dixisset, adhibuit primo unam e tribus et nihil profecit. Adhibuit secundam, et ne sic quidem quidquam actum est. Ut vero admovit tertiam, repente adapertis oculis mulier consurrexit, et stabilitate virium recepta alacrior multo quam cum sana fuerat, tota domo discurrere et magnificare Dei potentiam coepit. Ulterius procedunt Paulinus et Sulpicius Severus, haec fere narrantes: Cum tres pariter cruces repertae essent, difficultas dignoscendi patibuli, in quo Dominus pependerat, omnium animos mentesque perturbavit, ne errore mortalium forsitan pro cruce Domini latronis patibulum consecrarent. Capiunt deinde consilium, ut aliquem recens mortuum crucibus admoveant. Nec mora, quasi Dei nutu funeris extincti solennibus exequiis defertur, concursuque omnium feretro corpus eripitur. Duabus prius frustra crucibus admotis, ubi Christi patibulum attactum est, dictu mirabile, trepidantibus cunctis funus excussum et inter spectatores suos adstitit. Crux reperta dignoque ambitu est consecrata.

Quid de variis his narrationibus sit sentiendum, haud difficile dictu mihi videtur. Licet enim Paulinus, Sulpicius Severus et Rufinus eadem fere qua Ambrosius et Chrysostomus floruerint aetate, inter annum 390. et 400., nullam tamen video causam quae ad fidem simpliciori Ambrosii et Chrysostomi narrationi denegandam nos possit movere. Multo credibilius mihi videtur, crucem Domini visibili quodam signo cognitam esse quam miraculo. Totam illam de inventione crucis historiam innumerabilibus iisque ineptissimis fabulis mox exornatam esse, constat inter omnes. Qua de causa ipse Gelasius I. episcopus romanus circa annum 494 vel 496. „Scripta, inquit, de inventione s. crucis dominicae novellae quidem relationes*) sunt. Sed

*) var. lect.: revelationes.

quum haec ad catholicorum manus pervenerint, beati Pauli apostoli sententia praecedat: Omnia probate; quod bonum est tenete.“ *) Haud operae pretium est, novellas istas relationes recantare. Spicilegium earum apud Gretserum invenimus atque in Actis Sanctorum mense Majo tom. I. p. 461 seqq. Quare his omnibus praetermissis, id tantum afferamus, quod Helena cruce inventa fecisse narratur. Si Theodoreto fides est adhibenda, crucem in duas partes divisit, quarum alteram Hierosolymorum episcopo in theca argentea reconditam tradidit, alteram Constantino filio misit. Romam quoque particulam crucis allatam esse, communis est omnium sententia. Quare pars illa Constantinopolitana iterum in duas divisa esse videtur, quarum altera Romam est missa, altera Constantinopoli reservata. Atque festucas crucis mox per orbem christianum sparsas esse, Chrysostomus significat his verbis: „qui parvum quiddam ex illo ligno habeant, auro hoc includere, et cervicibus suis aptare.“ **) Quocum consentit Cyrillus noster, qui particulas crucis per universum orbem sparsas esse narrat. Hierosolymis pars illa crucis in Basilica Resurrectionis recondita fuisse videtur, quippe quum presbyterorum unum munere „Custodis crucis“ functum esse audiamus. Ter quovis anno crux Domini populo solenniter adoranda fuit proposita, ad quam crucis exaltationem ingens hominum multitudo e toto orbe terrarum confluxit. Quam multi eorum particulam crucis domum secum asportaverint, numero profecto definiri nequit. Quo modo autem factum est, ut tam multorum votis hoc lignum sufficeret?

---

*) can. 3. Dist. XV.

**) Chrys. contra Judaeos et Gentiles quod Christus sit Deus, ed. Bened. tom. I. p. 571. Αὐτὰ δὲ τὸ ξύλον ἐκεῖνο, ἔνθα τὸ ἅγιον ἐτάθη σῶμα καὶ ἀνεσκολοπίσθη, πῶς ἐστι περιμάχητον ἅπασι; καὶ μικρόν τι λαμβάνοντες ἐξ ἐκείνου πολλοί, καὶ χρυσῷ κατακλείοντες, καὶ ἄνδρες καὶ γυναῖκες τὴν τραχήλων ἐξαρτῶσι τοῖς ἑαυτῶν καλλωπιζόμενοι.

Respondent nobis scriptores, eodem miraculo hoc evenisse, quo Dominus olim effecerit, ut pauci panes tot millibus hominum satis essent. Crucis enim lignum continuo multiplicatum esse ajunt, ita ut quotidie particulas demere liceret, nec tamen illa pars diminuta inveniretur. Facile igitur tot crucis particulas per orbem sparsas invenias, quibus ferendis ne trecenti quidem homines suffecissent, ut dicit Calvinus, quibusque integra domus exstrui potuisset, ut dixit Lutherus. Quod quidem miraculum haereticos ea de causa capere non posse, quia non sapiant, quum scribat Gretserus, equidem ex docti illius Jesuitae sententia his ipsis, qui nullo modò sapiunt, malim accenseri. Etenim intelligere prorsus nequeo, quo modo fieri potuerit, ut anno 614. innumerabilibus crucis festucis per tria fere saecula distributis, integra illa crucis pars adhuc superesset, quam Chosroes Persarum rex eo ipso anno Hierosolymis expugnatis secum in Persiam abstulisse fertur. Neque vero diu de his spoliis gaudere licuit regi Persarum. Nonnullis enim annis interjectis ab Heraclio imperatore superatus atque a filio suo Simochio interfectus est, qui ab Heraclio regnum obtinuit, certis quibusdam conditionibus, quarum prima fuit, ut crucem Domini restitueret. Hoc modo crux quatuordecim postquam annis venerat in Persarum potestatem, a Christianis recuperata est. Heraclius solenni celebritate crucem suis humeris retulit Golgatham, quo Salvator eam tulerat. Quum autem ad eam portam ventum esset, quae ad Calvariae montem ducebat, insistere coactus est Imperator. Quo magis enim progredi conabatur, eo magis retineri videbatur, cumque ea de re et ipse Heraclius et reliqui omnes obstupuissent, Zacharias Hierosolymorum Patriarcha: „Vide, inquit, Imperator, ne triumphali tuo ornatu in cruce ferenda parum Jesu Christi paupertatem et humilitatem imiteris.“ Tum Heraclius, abjecto amplissimo ornatu detractisque calceis ac vulgari amictu indutus, quod reliquum erat viae facile con-

fecit et in eodem Calvariae loco crucem constituit, unde a Persis fuerat asportata.*)

Haec de cruce „exaltata" narratio totam crucis historiam concludere videtur. Nullibi enim, quantum ego scio, nobis narratur, quid tunc factum sit de cruce. Nostris diebus nullam crucis partem Hierosolymis exhiberi scio, quonam autem crux illa Heraclii sit asportata, hoc plane nescio.

Jam, historia inventae et exaltatae crucis enarrata, judicium nostrum de his ipsis quae narrantur proferamus. De exaltatione crucis loqui haud necesse erit, quum omnia, quae de Heraclio ejusque rebus gestis supra dixi, nullo modo cum Cyrillo cohaereant. De crucis inventione per Helenam Constantini matrem quid sentiendum sit, si quaeramus, primo loco rationes quas dicunt internas examinandas putavi. Golgatham atque sepulcrum Domini Constantini temporibus retectum esse, negari nequit, quum omnes ejus aetatis scriptores una voce hoc nobis tradiderint; eodemque modo de Helena Hierosolyma profecta inter omnes constat. Quare verisimillimum esse videtur, illam de ligno crucis investigando cogitasse. Quis enim Golgatham videns, de cruce non cogitavit? Itaque hoc certe concedendum videtur, Helenam de cruce invenienda cogitasse. At vero potuit fieri, ut crux inveniretur tribus saeculis post mortem Domini? Num ullum in terra ligni genus exstat, quod tria per saecula humo obrutum putredine non consumatur? Distinguendum hic mihi videtur inter diversa arborum genera atque inter nostras regiones septentrionales australemque Palaestinae terram. Judaeam aridissimam terram esse, nemo nescit. Nil fere invenias in Judaea nisi calidam aridamque terram calcariam. Quo fit, ut omnes arbores tardius tantum crescant et lignum perdurum producant. Arbores autem,

*) Gretser. l. l. lib. I. cap. 66. tom. 1. p. 210.

quae frequentissime illic inveniuntur, oleae sunt atquae variae quercuum sempervirentium species, ne dicam de palmis et ficubus, de quarum ligno ad crucem fabricandam ne cogitari quidem potuit. Lignum autem olearum et quercuum sempervirentium durissimum esse, constat inter omnes. Hujusmodi igitur lignum in cisternam quāndam exsiccatam fuisse abjectum sumamus, obtectum deinde ruderibus, lapidibus, humo, aliis superinjectis, quae omnia pulveris instar arida esse solent. Neque tam cito lignum putredine consumi in Judaea quam his nostris regionibus, semper equidem audivi, idque ea de causa credibile mihi videbatur, quia inde ab ineunte mense Aprili usque ad exeuntem Septembrem pluviam ne vidit quidem Judaea, nos autem per totam annum triginta vix diebus sine pluviis gaudemus. Quibus de causis fieri posse mihi videtur, ut lignum quoddam durum in caverna absconditum, in quam neque humori neque aëri aditus fuit, per tria fere saecula conservetur. Quae quum ita sint, rationibus ut dicunt internis historia de inventione crucis refelli non posse mihi videtur.

Accedamus ad rationes quas dicunt externas paullo accuratius examinandas. Omnes, quos supra laudavimus, rerum scriptores, qui de cruce anno 326. inventa retulerunt, inter annum 394. et 440. floruerunt, indeque non nisi post seculum fere interjectum de hac re prodiderunt: unde eos omnes errasse nullo modo concludi potest, sed quum antiquiores ad manum sint testes, operae pretium sine dubio est, hos ipsos audire, Eusebium dico atque Cyrillum. Primum igitur Eusebium audiamus, deinde nostrum Cyrillum.

Quam accurate et diligenter Eusebius et Sepulcri retectionem et Basilicae exstructionem in vita Constantini descripserit, supra jam exposui; de crucis dominicae inventione ne verbum quidem ille addidit, sed omnia quae de crucis inventione ii narrant, qui aetate posteriores sunt, silentio transit pater histo-

riae ecclesiasticae. Ea enim, quae in epistola Constantini ad Macarium*) legimus de signo sive monumento sacratissimae passionis Domini, non de cruce sed de Sepulcro mihi intelligenda videntur, quamquam multos viros doctos de cruce hoc intellexisse bene scio. Sed, comparatis iis quae praecedunt et quae sequuntur, facile apparebit, Constantinum de cruce non cogitasse. Quum enim ecclesiae in Sepulcri loco aedificandae consilium cepisset, conjicere vix potuit, cavernam ipsam adhuc illaesam superesse. Qua de causa ejus retectio tam inopinata visa est, ut non sine miraculo eandem factam esse putarent. De miraculosa hac cavernae retectione Imperator ad Macarium scripsit, de caverna semper et ubique in Basilicae descriptione locutus est Eusebius, nuspiam vero de cruce agitur. Verbum illud γνώρισμα ἁγιωτάτου ἐκείνου πάθους de nulla alia re nisi de cruce intelligi posse, probari non poterit. Immo concedendum est, γνώρισμα τοῦ πάθους cavernam indicare posse. Quaerendum igitur est, quaenam interpretatio verisimilior sit? Haud quidem accommodatum videtur verbum „signum sive indicium passionis" ad cavernam significandam, aptius forsan ad denotandam crucem. Quum autem nullibi in epistola Constantini ad Macarium, nullibi in historia ecclesiastica Eusebii de crucis inventione disseratur, sexcenties autem de Sepulcri retectione, nullus dubito, quin verbum γνώρισμα τοῦ πάθους de Sepulcro dominico sit intelligendum. Obiter tantum hoc loco monendum mihi videtur, doctissimum Williams in libro supra laudato mirum in modum sibi ipsi contradicere, quippe quum Vol. II. p. 123. 124. acerrime contendat, τὸ γνώρισμα τοῦ πάθους nil esse nisi crucem, eodem volumine autem, p. 242. not. 2. hanc opinionem ipse refutet, de Sepulcro verbum illud explicans.

---

*) Euseb. Vita Constantini lib. III. cap. 30. ed. Valesii tom. I. pag. 535.

Eusebius igitur de inventione crucis tacet. At vero objicit Gretserus (de cruce tom. I. p. 200.) verba, quae in Chronicon libris Eusebii leguntur haec: „Anno Domini trecentesimo vigesimo quinto, imperii Constantini decimo sexto Helena Constantini mater divinis monita visionibus beatissimum crucis signum, in quo mundi salus pependit, prope Hierosolymum reperit.“ Leguntur utique haec verba ut in aliis Chronicon editionibus, ita in ea, quae Basileae prodiit per Henricum Petri anno Domini 1559. fol. 83. B. Sed recte jam Josephus Justus Scaligerus ea omisit in „thesauro temporum“, qui Amstelodami prodiit anno 1658. p. 181, in animadversionibus p. 249. haec fere monens: „„Helena Constantini mater etc.““ „Haec in editiones ex Rufino totidem verbis traducta sunt lib. I. cap. 8. hist. eccles. quae nullus omnium scriptorum codicum habet.“ Itaque suppositicia esse haec verba in Chronicon libro, dubitari nequit, quare recte judicasse Centuriatores Magdeburgenses Cent. IV. cap. 13. nobis videntur, a posterioribus ea inserta esse dicentes.

Eusebio examinato, Cyrillum jam audiamus de crucis inventione. Qua in re ut ea qua decet diligentia progrediamur, distinguendum mihi videtur inter ipsam inventionis historiam atque inter ea testimonia, quae probant, crucem inventam fuisse. Fieri enim potuit, ut antiquitatis quoddam monumentum aliquo loco reservatum atque ab omnibus conspectum fuerit, quamvis nemo dicere potuerit, quomodo illud monumentum fuerit inventum. Primum igitur quaeramus, utrum Cyrillus loquatur de ligno crucis quasi quondam invento; tum, utrum noverit, quomodo sit inventa Domini crux. Tres in catechesibus exstant loci, qui demonstrant, Cyrilli temporibus omnibus notum fuisse, crucem quondam fuisse inventam. — Brevissimam quandam doctrinae christianae adumbrationem tradit Cyrillus Cat. IV. atque c. 9. de humana Jesu Christi generatione loquitur, c. 10. de morte

ejus expiatoria, his fere verbis: „Crucifixus est vere pro peccatis nostris. Quod si negare volueris, revincet te locus ipse conspicuus, felix iste Golgatha, in quo nunc propter eum, qui ibi crucifixus est, congregati sumus: ac crucis ligno universus jam orbis in partes secto repletus est.“ *)

Tum in fine catecheseos decimae testimonia enumerans de Christo, Joannem baptistam laudat testimonium ferentem de Domino nostro, et Jordanem fluvium, et Tiberiadis lacum, et ventos, Domini imperio refraenatos, et quinque panes in quinque virorum millia multiplicatos. His fere testibus laudatis, ita pergit Noster: „Sanctum crucis lignum testatur, quod ad hodiernum usque diem apud nos conspicitur; ac per eos, qui fide impellente ex eo frusta decerpunt, orbem fere totum hinc jam opplevit.“ **)

Eadem fere verba, quae Cat. 4. jam dixerat, Cat. 13, c. 4. repetit: „Passio, ait, igitur vera fuit. Quodsi nunc negavero, arguet me iste Golgatha, cui nunc nos omnes proxime adsistimus; arguet me crucis lignum, quod per particulas ex hoc loco per universum jam orbem distributum est.“ ***)

Quae Cyrilli testimonia luce clarius demonstrant, lignum crucis anno, quo catecheticas habuit orationes Noster, anno nimirum 347. Hierosolymis conspiciendum fuisse, multasque jam crucis particulas ab iis, qui religionis causa loca sacra visitaverint, fuisse asportatas. Gravissima haec testimonia esse nemo negare poterit. Etenim nisi omnibus, qui Cyrillum audierunt, notissimum fuisset, lignum crucis Hierosolymis reser-

---

*) Καὶ τοῦ ξύλου τοῦ σταυροῦ πᾶσα λοιπὸν ἡ οἰκουμένη κατὰ μέρος ἐπληρώθη.

**) Τὸ ξύλον τὸ ἅγιον τοῦ σταυροῦ μαρτυρεῖ, μέχρι σήμερον παρ' ἡμῶν φαινόμενον, καὶ διὰ τῶν κατὰ πίστιν ἐξ αὐτοῦ λαμβανόντων, ἐντεῦθεν τὴν οἰκουμένην πᾶσαν σχεδὸν ἤδη πληρῶσαν. Cat. 10, 19.

***) Ἐλέγχει με τοῦ σταυροῦ τὸ ξύλον, τὸ κατὰ μικρὸν ἐντεῦθεν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ διαδοθέν.

vari, nullo modo hoc tanquam testimonium de vera Domini morte ille afferre potuisset. Quae quum ita sint, dubitari nequit, quin viginti annos post Helenam lignum quoddam Hierosolymis fuerit exhibitum, quod crucis dominicae lignum esse omnes crediderunt.

Ad alteram jam quaestionis partem accedamus examinaturi, quae fere narraverit Cyrillus de crucis inventione per Helenam? In Catechesibus nil de cruce legitur nisi ea, quae supra laudavi. In epistola autem ad Constantium imperatorem, de qua supra (§. 6 p. 34) pluribus jam disserendum mihi fuit, haec fere leguntur: „Tempore Constantini patris tui salutare crucis lignum Hierosolymis repertum est, divina gratia viro qui pietatem recte quaesivit, hoc largiente, ut absconditos locos sacros invenirent.“ *) Supra jam monui nullam me videre causam, qua hanc epistolam ad Constantinum suppositiciam esse putem. Ipse quem modo laudavi epistolae locus Cyrillum ejus auctorem esse probare mihi videtur. Cyrillus igitur crucem Constantini temporibus Hierosolymis inventam esse disertis verbis tradit. Quomodo autem atque per quem illa fuerit inventa, quum minime addiderit, ignotum ei fuisse videtur, Helenam crucem invenisse. Hac de causa epistolam illam a Cyrillo esse datam concludere licet. Etenim quum omnes, qui aetate sunt posteriores, una voce Helenae inventionem crucis tribuentes multis verbis ejus laudes canant, sine dubio auctor epistolae nostrae idem dixisset, nisi aetate prior fuisset. In epistola ad Constantinum antiquissimam sine dubio de inventione crucis habemus narrationem.

Ex his igitur Eusebii et Cyrilli testimoniis satis patere existimamus:

---

*) ep. ad Constantium c. 3. Ἐπὶ μὲν γὰρ τοῦ θεοφιλεστάτου καὶ τῆς μακαρίας μνήμης Κωνσταντίνου τοῦ σοῦ πατρὸς, τὸ σωτήριον τοῦ σταυροῦ ξύλον ἐν Ἱεροσολύμοις ηὕρηται, τῆς θείας χάριτος τῷ καλῶς ζητοῦντι τὴν εὐσέβειαν, τῶν ἀποκεκρυμμένων ἁγίων τόπων παρασχούσης τὴν εὕρεσιν.

1) Christianos, retecto sepulcro, de inveniendâ cruce cogitasse verisimile est.

2) Fieri potuit, ut lignum crucis per tria fere saecula conservatum inveniretur Constantini temporibus.

3) Antiquissimorum testium alter, Cyrillus Hierosolymitanus, crucem Constantini temporibus inventam Hierosolymisque reservatam esse ad sua ipsius tempora disertis verbis docuit.

4) Recentiores vario modo hanc narrationem exornarunt, ita tamen ut omnes in eo consentiant, crucem dominicam Constantini temporibus Hierosolymis esse repertam.

Quae quum ita sint, haec fere tenenda mihi videntur: Totam hanc de cruce inventa narrationem ad fabulas prorsus pertinere posterioribus temporibus sparsas probari nequit, immo multis iisque gravissimis de causis statuendum est, Constantini temporibus lignum quoddam esse repertum, quod omnes lignum crucis dominicae esse crediderint. Hoc ex mea quidem sententia negari quum nequeat, temerarium utique justoque audacius videbitur, si quis contendere velit, omnes quos laudavimus testes errasse. Non multas sane antiquitatis res invenias tot atque tam gravibus testimoniis confirmatas. Si quis vero ex me quaerat, utrum lignum illud, Constantini temporibus Hierosolymis repertum, re vera lignum crucis dominicae fuerit nec ne: quid respondeam me non habere, libenter confiteor. Etenim ut nemo rationes afferre poterit, quae demonstrent lignum illud non fuisse crucem Salvatoris, ita veram crucem id fuisse probari nequit. Quare quid statuendum sit, equidem decernere nolim. Unicuique suam facile relinquam opinionem, hoc tantum dicens, nullo modo mihi incredibile videri, veram Domini crucem Hierosolymis esse inventam.

Sed, justo longius hac in re commorati, iis quae de morte Jesu Christi dixerit Cyrillus, allatis, jam ea proferamus, quae de resurrectione et ascensione Domini in Catechesibus legimus.

Multis veterum Prophetarum testimoniis Cyrillus confirmat in Catechesi decima quarta, Christum a mortuis resurrexisse. In quibus testimoniis adhibendis, quo modo Cyrillus usus sit, non hic sed in parte tertia commentationis nostrae disseremus. Obiter tantum hic monere juvat, non semper ea qua opus est sapientia usum esse Nostrum, immo nimia temeritate Prophetarum verba accumulasse, quibus minime ea probantur, quae probare in Cyrilli animo fuerat. Quid, si locum Zephaniae prophetae laudans (cap. 3, 8.) secundum septuaginta interpretes: „Διὰ τοῦτο ὑπόμεινόν με, λέγει Κύριος, εἰς ἡμέραν ἀναστάσεώς μου εἰς μαρτύριον", „vides, inquit, prophetam praevidisse locum resurrectionis, qui Martyrium appellandus erat. Qua enim ratione non ceterarum ecclesiarum more hic Golgathae et resurrectionis locus ecclesia appellatur sed Martyrium? at id fortasse propter prophetam, qui dixit: εἰς ἡμέραν ἀναστασεώς μου εἰς μαρτύριον." Ut nihil de errore septuaginta interpretum dicam, verbum hebraicum לְעָד per graecum εἰς μαρτύριον" reddentium, in eo valde erravit Cyrillus, quod locum illum ita explicavit, quasi scripsissent Septuaginta non εἰς μαρτύριον sed ἐν μαρτυρίῳ. Sed permulta similis incuriae exempla afferam de methodo Cyrilli disserens, quare nil amplius hoc loco dicam. — Omnia fere, quae in Evangeliis legimus, repetit Cyrillus, de loco, de hora, de mense resurrectionis disserens. Quod attinet ad mensem, recte dicit Cyrillus, mense Xanthico Dominum resurrexisse. Haud facile autem probari poterit, rectum eum vidisse, dicentem: „Hoc est tempus creationis mundi." Tunc enim dixit Dominus: „Producat terra herbam foeni, germinantem semen juxta genus et juxta similitudinem." Quando homo creatus propter inobedientiam ejectus est de paradiso, eodem tempore is, qui credidit, per obedientiam introductus est."

Testes resurrectionis mulieres illas apostolosque laudat, qui Dominum viderunt, diutius apud Jacobum commorans.

Laudato enim Paulo apostolo in prima ad Corinthios c. 15, v. 7. dicente: „Postea visus est Jacobo“, adjicit, hunc Jacobum fratrem Domini atque primum hujus paroeciae episcopum fuisse. Cum igitur talis episcopus principaliter Christum Jesum resuscitatum viderit, nos, qui discipuli ejus sumus, ne fidem abnegemus.

Memoratu digna mihi videntur, quae de Christi descensu ad inferos habet Cyrillus. Supra jam demonstravi, locum de descensu ad inferos non inveniri in Symbolo Cyrilli. Neque vero ignotam ei fuisse hanc doctrinam demonstrat Catecheseos decimae quartae caput 18 et 19. Suam enim in Domini resurrectionem fidem professus, multa hujus rei testimonia se habere dicit, maxime ex ejus qui resurrexerit in hodiernum usque diem efficientia, qui quidem solus in inferna descenderit, pluribus vero stipatus huc sit revectus. Etenim descendit in mortem et multa corpora sanctorum, qui obdormierant, per ipsum excitata sunt. Quum Christus in infernum descendisset, accurrerunt sancti Prophetae et Veteris foederis fideles. Redemti sunt sancti omnes, quos mors absorbuerat, et quilibet justorum dicebat: „Ubi est, mors, victoria tua? ubi tuus, o inferne, stimulus?“ *) liberavit enim nos victoriae auctor.

Sufficiat hoc loco descensus ad inferos breviter mentionem fecisse: de quo quid senserit Cyrillus, pluribus disputabimus, doctrinam ejus de redemtione infra explicantes.

Paucis tantum de Domini in coelum ascensione disserit, quippe quum pridie de ea dixisset in synaxi diei Dominicae. Montem Olivarum ad Orientem situm auditoribus ostendit dicens, hunc montem eum, qui ascenderit, in hodiernum usque diem fidelium oculis tantum non demonstrare. Quibus e verbis concludere forsitan liceat, vestigia Christi in coelum ascendentis,

---

*) 1 Cor. 15, 55.

quae ad hunc usque diem in monte Olivarum viatoribus ostenduntur, Cyrilli jam temporibus esse exhibita. — Concludit Cyrillus Catechesin XIV, de eo pauca addens, quod Symbolum dicit: „Consedit a dextris Patris.“ Eos refellit, qui asserunt post crucem et regressum in coelum Filium a dextris Patris sedere coepisse. Non enim, inquit, ex profectu hanc sedem adeptus est, sed ex quo est (est autem ab aeterno genitus) etiam sedet una cum Patre. Idem autem, qui in superis sedet, et nobis hic praesens adest. Quod enim carne abest, non idcirco etiam abest spiritu. Medius hic adest, audiens, quae de se dicuntur, et quae unusquisque cogitat videns, scrutans renes et corda.

### §. 13. De duabus Jesu Christi naturis.

Secundum eum, quem nobis proposuimus, ordinem doctrina Cyrilli de Christi persona sive de duabus ejus naturis jam explicanda est. Qua de re orationem ita instituamus, ut primum breviter de natura Salvatoris humana dicamus, deinde fusius ea exponamus, quae docuerit Noster de natura Christi divina. Cyrilli temporibus Gnostici magnam partem jam erant ita profligati, ut de erroribus eorum haereticorum, quos communi Docetarum nomine veteres comprehendere consueverant, non amplius in ecclesia dimicaretur. Quo factum est, ut haud longius commoraretur Cyrillus in iis explicandis, quae ad naturam Christi vere humanam spectant. Non secundum opinionem et fictam speciem sed secundum veritatem hominem factum esse Dei filium ut in Catechesi quarta ita in XII, 31. exponit, hoc insuper addens, neque ficta tantum specie Christum crucifixum esse. Si enim, inquit, specie tantum crucifixus est, ipsa etiam nostra salus nonnisi ludicra specie constabit. Si crux imagine et opinione tantum, imagine pariter assumtio constabit. Si

autem assumtio, similiter et secundus adventus et omnia denique nulla solida re consistent. Nativitatem Domini immaculatam atque ab ulla sorde alienam fuisse, saepius repetitur. Neque enim ex viro et femina natus est Salvator, sed ex virgine sola, vi et efficacia Spiritus sancti. De modo autem miraculosae hujus nativitatis nil explicare audet Cyrillus. At, mihi dicat aliquis, nonne legimus apud eum, ita Christum ex virgine natum esse, ut virginales portas non aperuerit? Cui equidem respondeam: Exstat hujusmodi sententia in homilia quadam, cui „in occursum Domini" titulus, quae a nonnullis Cyrillo tribuitur, atque hac de causa in operum Cyrillianorum editionibus invenitur. Sed quamvis ea, quae ex homilia illa modo laudavimus, a Cyrilli sententia nullo modo sunt aliena, eidem tamen tribui non possunt, quum multis iisque gravissimis de causis demonstrari possit, Cyrillum auctorem istius homiliae non esse, quare et ipse Touttaeus in spuriorum opp. numerum eam rejecit. Nihil igitur de miraculosa Domini nativitate accuratius definiens, hoc tantum affirmat, non per virginem quasi per canalem Christum transiisse, quam Valentini aliorumque Gnosticorum fuisse opinionem, ab Irenaeo et Epiphanio comperimus, sed veram Domini matrem esse Mariam, quae in utero eum gestaverit lacteque sua eum nutriverit. Si qui vero sunt, qui fieri posse negant, ut verus homo ex virgine sine viro nasceretur, Gentilibus certe ex suis ipsorum fabulis os erit obstruendum. Qui enim ex cerebro filiam natam esse fabulantur, quomodo ex virginali utero nasci filium non posse affirmare audebunt? Qui de femore Jovis quasi de praegnante utero falso editum Bacchum asserunt, quomodo veram Christianorum doctrinam respuere audebunt? Judaei autem Sarae recordentur, quae sterilis anus peperit. Non magis contra naturam est, virginem in aetatis flore matrem fieri, quam sterilem parere. Itaque aut utrumque simul rejiciendum aut utrumque

admittendum. Nemo enim audebit dicere, hoc Deum facere potuisse, illud non potuisse. Quid? Eva, omnium mater ex viri latere sine matre nata creditur. Cur vero puer ex virginis utero sine opera viri nasci non possit? Obnoxium erat femineum genus reddendae viris gratiae. Namque Eva ex Adamo nata fuerat, non ex matre concepta, sed ex viro solo tamquam partu edita. Reddidit ergo Maria hujus gratiae debitum, dum non ex viro sed ex se sola incontaminata de Spiritu sancto per virtutem Dei genuit. Porro accipiamus aliud longe majus. Ex corporibus enim corpora produci licet mirum videatur, tamen fieri id posse negari nequit. At pulverem terrae hominem fieri hoc admirabilius est. Undenam Adamus factus? nonne Deus pulverem e terra sumens, admirabile illud figmentum paravit? Quid ergo? lutum in oculum transformatur, et virgo filium non generavit? Quod ex hominum judicio fieri nequit, fit; et quod de se ipso fieri potest, id non fiat? Aaronis virgam denique laudans Cyrillus, quae id quod ceterae arbores plurium annorum spatio producunt, intra unam noctem produxit, „ille, inquit, qui virgae propter summum Sacerdotem typicum (Aaronem sc.) fructum supra naturam ferre dedit, nonne virgini propter verum summum Sacerdotem parere concesserit?“ *) His verbis Cyrillus causam jam significat, cur Dominus e virgine generari debuerit. Decebat enim eum, qui purissimus est, ex puris prodire thalamis. Si enim is, qui apud Jesum bene fungitur sacerdotio, abstinet a muliere: ipse Jesus quomodo ex viro et muliere prodire potuisset? Adde, quod per virginem Evam venit mors; oportebat igitur per virginem sive potius de virgine prodire vitam.

Hac opportunitate oblata, Cyrillus virginitatis laudes pronunciat, dicens: „Adoretur natus ex virgine Dominus, nove-

*) Cat. 12, 18.

rintque virgines proprii instituti decus et coronam. Agnoscat et monachorum ordo puritatis gloriam. In ventre virginis novem mensium tempus exactum est Salvatori, at vir fuit Dominus tres annos et triginta; adeo ut, si gloriatur virgo propter novimestre tempus, multo nos magis gloriari possumus propter annorum multitudinem. Qui puritatem sectantur, angeli sunt in terra ambulantes. Virgines cum Maria virgine partem habebunt." Haec dé causa generationis ex virgine protulit Noster. Majoris autem momenti ea sunt, quae respondet quaerentibus, cur omnino Deus homo factus sit? Etenim haec arctissime cohaerent cum doctrina de generis humani redemtione atque de morte Jesu Christi expiatoria. Pretiosissimum illud heredium, catechismus Heidelbergensis, a patribus nobis relictum, in quaestione decima sexta et septima ita causas inhumanationis Unigeniti explicat, ut aperte jam ante oculos nobis ponatur omnis de redemtione doctrina, quae inter Protestantes invaluit. Anselmus in celeberrimo libro cui titulus: „Cur Deus-homo?" integram de redemptione doctrinam proponit, quae per aevum medium maximam obtinuit auctoritatem. Quare operae pretium est, accuratius indagare Cyrilli de inhumanationis causis sententiam. Infra de Christi munere sacerdotali disserentes videbimus, quo modo Cyrilli de morte Christi expiatoria doctrina iis nitatur, quae de incarnationis causis docuerat. Prima incarnationis causa, quam Cyrillus laudat, generis humani reparatio est. Homo enim, maximum opficium Dei e paradiso Diaboli invidià ejectus est. Tantum erat generis humani vulnus, ut omnem medicinam nostrâm exsuperaret. Per nos emendari malum nequivit. Deo indiguit emendatore. Qua de causa propheta supplicavit: „Domine, inquit, inclina coelos et descende." *) Hanc prophetarum orationem Dominus exaudivit,

*) Ps. 144, 5.

atque filium suum de coelis misit medicum. Si autem Deus sicut est in terram venisset, intueri eum, eoque frui non possemus, atque hic alteram vides incarnationis causam. Deus factus est id quod nos sumus, ut sic eo frui possimus. Etenim quum Dominus in igne descenderet super montem Sinai, non sustinuit populus, sed ad Mosen dixerunt: „Quae est omnis caro, quae audivit vocem Dei viventis, loquentis de medio igne, et vivet?“ *) Si vocem Dei loquentis audire mortem concilat, Deum ipsum cernere multo magis mortis causam afferret. Quid igitur vultis? eum, qui ad salutem venit, interitus nobis causam fieri, eo quod eum non possent mortales sustinere; an potius eundem ad modum nostrum se accommodasse gratiamque suam adtemperasse? Experientia nostrae imbecillitatis demonstrata, assumsit Dominus id quod homo requirebat. Quando enim a simili sui specie audire cupiebat homo, similium affectionum naturam induit salvator, ut homines facilius erudirentur.

Haec igitur Cyrilli sententia est: Miseria generis humani tanta est, ut nullus nisi ipse Deus mederi ei potuerit. Quum autem homines Deum cernere non sustineant, Deum hominis naturam induere necesse fuit, atque hac de causa Unigenitus incarnatus est.

Minoris momenti nobis esse videntur, quae Cyrillus Cat. XII, 15. exponit: „Venit Christus, inquit, ut baptizaretur et sanctificaret baptisma; venit ut miracula operaretur ambulans super mare. Quum autem neque mare neque Jordanus aspectum Dei sustinere valeat, assumsit corpus Dominus, ut mare videns sustineret et Jordanus eum posito metu reciperet.“ Non praetermittenda autem sunt, quae in eadem oratione legimus de idolorum cultu deleto atque de diabolo decepto. Homines nimirum derelicto Deo simulacra humanae formae adoraverunt.

---

*) Deut. 5, 26.

Deus autem vere homo factus est, ut mendacium dissolveretur atque haberent homines sui similem, quem adorarent. Adde, quod carnis instrumento diabolus contra nos utebatur. Carnem igitur Dominus assumsit, ut gratiam carni afferret, ut peccatrix humana natura Dei particeps fieret. Novissima denique inhumanationis causa haec est: oportebat Dominum pro nobis pati. Neque autem ausus fuisset accedere diabolus, si eum cognovisset. Esca igitur morti objecta fuit corpus, ut, cum illud se devoraturum speraret draco, etiam evomeret eos, quos jam devoraverat. Mira sane nobis videtur haec sententia. Saepe autem a patribus iisque antiquissimis eam repeti accuratius demonstrabo de morte expiatoria Domini disserens.

His jam absolutis, Cyrilli doctrinam de natura divina Salvatoris ante oculos ponere conemur. In qua doctrina explicanda Nostrum longius commorari, haud sane mirandum, quum eo tempore acerrime de natura divina dimicaretur inter Arianos et Orthodoxos. Cyrillum ab Arianorum parte nunquam stetisse, supra jam demonstravi; neque in Semiarianis eum numerari posse elucebit ex iis, quae jam allaturi sumus.

Filium cum audis, inquit,*) ne existimes per adoptionem filium Dei eum factum esse. Etenim quam homines filii Dei dicantur, abusive hoc intelligendum. Non enim naturalis pater hominum Deus est, sed per adoptionem eos liberos fecit. Solius Christi pater est non secundum adoptionem sed secundum naturam.**) Non igitur e servitute ad gradum filii evectus est. Non, ut quidam existimant, post passionem quasi coronatus a patre, pro obedientiae mercede divinum honorem accepit, verum ex quo est (est autem ex omni aeternitate) habet regiam divi-

*) Cat. 11, 2.
**) Cat. 7, 10.

namque dignitatem.*) Non igitur perferamus eos, qui perverse asserunt, quod post crucem et resurrectionem Christus a dextra patris sedere coepit. Aeternum enim Salvatoris thronum ante ejus adventum in carne conspicatus Jesaias propheta ait: „Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum.“**)

Dominus noster naturalis Dei filius est, qui idcirco „unigenitus“ vocatur, quia fratrem nullum habet. Similiter, dum „primogenitum“***) audis, ne id ex humano more intelligas. Apud homines enim primogeniti alios fratres habent. Dei autem primogenitus ab omni aeternitate genitus est imperscrutabili quadam nec unquam comprehendenda generatione. Quae quidem generatio non temporis cujusdam spatio facta esse potest. Neque enim Deus, qui prius sine liberis fuit, postea in tempore pater est effectus, verum semper filium habet. Nullum in generatione filii ex patre intermedium reperitur tempus. Quare minime dicendum: „Ἦν ὅτε οὐκ ἦν ὁ υἱός“, neque unam ex rebus creatis eum esse statuendum. In eo enim quod scriptum est: „Filius meus tu es, ego hodie genui te“,†) vox „hodie“ non significat recens sed sempiternum. Vox „hodie“ temporis expers est, ante omnia saecula. Ac recte doctissimus Dorner monuit,††) ea de causa Cyrillum aeternam filii generationem docuisse, quia filius non ex nihilo creatus sit, sed ex essentia patris genitus. Etenim ex eo, quod nulla temporis ratio ad essentiam Patris potest adhiberi, quod omne potius tempus in Deo negari debet, sponte consequitur, filium sine tempore, id est aeterno ex essentia patris procedere.

---

*) Cat. 4, 7. 11, 17. 14, 27.
**) Jes. 6, 1. cf. Joann. 12, 41.
***) Hebr. 1, 6.
†) Psalm. 2, 7.
††) In libro: Entwickelungsgeschichte der Lehre von der Person Christi, p. 861.

Neque vero prorsus assentiri possum Dornero dicenti, non sibi constare Cyrillum, hic de generatione extra omne tempus loquentem, illic generationem quasi factam in tempore explicantem. Respicit Dornerus locum Catecheseos XI, 14. qui ita se habet: „Non secum deliberans, postea genuit, verum sempiterno genuit, et multo celerius nostris sermonibus et cogitationibus genuit. Nos enim, in tempore loquentes, tempus consumimus. Quum autem de divina potestate sermo est, temporis expers (ἄχρονος) est generatio.“ Quo loco e verbis: „multo celerius nostris sermonibus genuit“, Dornerus concludit, Cyrillum filii generationem cogitasse quasi „actum quendam singulum“, factum in tempore. At tantum abest, ut breve quoddam temporis spatium indicare velit Cyrillus verbis modo laudatis, ut potius verbo „ἄχρονος“ adjecto omne tempus in generatione consumtum neget. Quum enim dicit: „multo celerius nostris cogitationibus“, κατ' ἄνθρωπον loquitur, eodem fere dicendi genere usus quo Moses *) atque Petrus apostolus: **) „Unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus.“ Quae quum ita sint, equidem certe in illis Cyrilli verbis ne levissimam quidem heterodoxiae notam invenire possum. Alia autem apud Nostrum leguntur, quae quodammodo Semiarianorum doctrinam olere videantur. Quibus adnumero notissimum illud: „Ἀρχὴ τοῦ υἱοῦ ὁ Πατήρ.“ ***) Cui adde, quod dixit: „Οὔτε δύο εἰσὶν ἀρχαὶ, ἀλλὰ κεφαλὴ τοῦ υἱοῦ ὁ Πατὴρ, μία ἡ ἀρχή.“ †) Quis autem est, qui ignoret, hoc loquendi genus omnibus fere antenicaenis patribus usitatissimum fuisse? Quis est, qui ignoret, ipsum Paulum apostolum Patrem „caput Christi“ ††) ap-

*) Psalm 90, 4.
**) 2. ep. 3, 8.
***) Cat. 11, 19.
†) Cat. 11, 14. cf. Cat. 13, 23.
††) 1. Cor. 11, 3.

pellasse, quo dicendi genere postnicaenus theologus sine heterodoxiae macula uti vix potuisset. Quare nolumus tam severe judicare de Cyrillo, qui non dogmaticam dissertationem scripsit, sed catecheticas orationes ex tempore dixit. — Nec majoris momenti ea mihi esse videntur, quae de aeterno „Verbi" (τοῦ Λόγου) sacerdotio protulit Noster: „Christus, inquit, est summus sacerdos, non transferendum habens sacerdotium, qui neque in tempore sacerdos esse coepit, neque alterum habet sacerdotii sui successorem. Non ex corporea successione adeptus pontificium, neque factitio oleo unctus sed ante saecula a Patre." *) Quamquam enim Ariani ad minuendam Verbi dignitatem sacerdotium in ipsum Verbum, non in assumtam humanitatem conferebant, et Orthodoxi a Verbo in hominem tota vi conferebant, tamen credendum non est, Cyrillum Verbi dignitatem hac doctrina violare voluisse. Etenim accepit eam ab antiquioribus Patribus, **) tenueruntque eam post Cyrillum autores, in quos ne levissima quidem heterodoxiae et Semiarianismi suspicio cadit. Quare in Cyrilli orthodoxia ex mea quidem sententia acquiescere possumus. Genuit igitur filium Pater, non ita ut homines intelligunt, sed ut novit ipse solus. Quod filium Deus habet, illud crede, quomodo vero, noli curiosius sciscitari. Quaerendo enim non reperies. Neque nos duntaxat filii ex Patre generationem ignoramus, sed omnis nescit creatura. Tellus creatoris substantiam edicere non valet. Neque coeli coelorum neque aquae, quae super coelos sunt, hoc enarrabunt. Quid? quod angeli quoque hanc generationem nesciunt. Si quis enim in primum coelum ascendens angelos hujus loci interrogare posset, quomodo Deus filium suum genuerit, respon-

---

*) Cat. 10, 14.

**) v. c. a Polycarpo in epist. ad Philippens. 12; a Clemente Alexandrino Strom. lib. 2, 9. al. Constitut. apost. 8, 43.

derent illi fortasse: Supra habemus et majores et sublimiores nobis, illos percontare. Adsurge in secundum et tertium coelum, pertinge si potes ad Thronos et Dominationes, ad Principatus et Potestates: ab his quoque ipsis hujus rei enuntiationem nullam accipies, neque enim exploratum habent. Quare miranda sane erit temerariorum illorum curiositas, qui ea inquirere aggrediuntur, quae nemo cognoverit nisi Spiritus sanctus. At neque ipse Spiritus sanctus de Filii generatione ex Patre in Scripturis sacris locutus est. Quid igitur operose in ea inquiris, quae ne Spiritus sanctus quidem in Scripturis exaravit? Tu, qui ea quae scripta sunt, haud nosti, ea, quae scripta non sunt, percontaris? Multae sunt in divinis scripturis quaestiones; quod scriptum est, id saepius non comprehendimus; quid de eo quod scriptum non est laboremus? Sufficiat nobis scire, quod Deus unum solum filium genuit. Neque igitur nos, quemadmodum Pater filium genuerit, dicere profitemur, sed tantum quod non ita genuerit, id affirmamus.*)

Itaque, si generantem Deum audieris, ne de corporibus opineris, Spiritus enim est Deus, spiritualis ejus generatio. Ne igitur humanam existimes hanc generationem, neque illi similem, qua Abraham genuit Isaacum, non quem volebat, sed quem alius ei concessit. Cum vero Deus pater generat, neque ignorantia neque meditatio ulla hic statuenda est. Dicere enim, ignorasse eum id quod genuerit, impietas erit maxima. Dicere etiam, eum postquam deliberasset genuisse, ejusdem est impietatis. — Non eo modo Pater Filium generavit, quo magistri discipulos generant, non quemadmodum Paulus scribit:**) „In Christo Jesu per evangelium ego vos genui.“ Hic enim qui

*) Οὐ τὸ πῶς ἐγέννησεν εἰπεῖν ἐπαγγελλόμεθα, ἀλλὰ τὸ· οὐχ οὕτως διαβεβαιούμεθα. Cat. 11, 11.

**) 1 Cor. 4, 15.

secundum naturam filius non erat, per disciplinam filius factus est. Illic vero naturalis filius, verus filius. Non sicut et nos filii Dei efficimur. Nos enim nascimur ex aqua et spiritu, non autem ita natus est Christus a Patre. Namque in baptismate Pater non dixit: „Hic nunc factus est filius meus“, verum: „Hic est filius meus“, ut declararet, quod etiam ante baptisma filius erat.

Neque eo modo Pater genuit filium, quo in hominibus mens generat verbum. In nobis enim mens subsistens (ἐνυπόστατος) quidem est, verbum autem enuntiatum hypostasi sive subsistentia propria carens, in aëra diffusum disperditur. Christus autem non prolatitium sed natum Verbum est, Verbum subsistens et vivens, non labiis prolatum atque diffusum, sed ex Patre sempiterno et ineffabiliter et in hypostasi genitum; Verbum intelligens Patris voluntatem, et ejus nutu omnia moliens; Verbum quod descendit et ascendit (verbum enim prolatitium dum loquendo profertur, neque descendit, neque ascendit); Verbum quod loquitur et dicit: „Quae vidi apud Patrem meum, haec loquor“; *) Verbum potestate plenum et in omnia regnum exercens, omnia enim filio tradidit Pater.

Verus igitur Deus est filius, quare in Deo neque separanda neque confundenda utraque persona. Cyrillus Arianos respiciens: Ne alienum, inquit, unquam a patre filium dixeris. Sabellianorum autem et Patripassianorum haeresin aggrediens: Ne illos admiseris, inquit, qui dicunt, Patrem aliquando Patrem esse et aliquando Filium. Non enim Pater homo factus est, sed Filius. Non Pater passus est pro nobis, sed Filius. Quare regia via incedamus, ne declinemus ad sinistram neque ad dextram. Neque, filio nos deferre honorem rati, Patrem eum nuncupemus, quasi Filio-paternitatem recipientes; neque dum Pa-

*) Joann. 8, 38.

trem honorare arbitramur, Filium unam ex rebus creatis esse suspicemur.

Credamus igitur in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, qui ex Patre natus est Deus verus ante omnia saecula, per quem omnia facta sunt.*) Obmutescant omnes haeretici, qui diversos factores et mundi auctores inducunt. Omnia enim, sive visibilia, sive Throni sive Dominationes, per Christum facta sunt. Hanc de mundo per Christum creato doctrinam singulari quodam exemplo explicare Cyrillus conatur, quod quamvis ipse infirmum esse confiteatur, tamen hic commemorandum esse putavi. Quemadmodum, inquit,*) rex, qui filium habet et ipsum regem, urbis condendae si cupidus est, filio secum regnanti subjicit urbis exemplar, hic autem exemplari sumto cogitatum opus ad finem perducit: ita, cum pater omnia fabricare voluisset, Patris nutu filius omnia aedificavit. Ne autem putes, Patrem sufficienti ad creandum per seipsum potestate caruisse; ideo enim omnia per Filium creavit, quia Filium voluit regnum obtinere in res non ab alio sed a se conditas.

Satis superque jam demonstratum esse mihi videtur, quam caute Cyrillus de divina Salvatoris natura disserens, „regiam viam tenere" studeat, quare Arianorum signa eum secutum esse, nemo profecto contendere poterit. Cyrillum inter eos numerandum non esse, qui excoluerint atque promoverint doctrinam christianam, id quidem constat inter omnes: sed ejus ingenium ita fuisse comparatum, ut ea, quae alii excoluissent, plane atque dilucide proponeret, hoc nemo opinor Cyrillum qui perlegerit negare poterit.

Restat, ut videamus, quid fere senserit Noster de ea, quam

---

*) Cat. 11, 21.
**) Cat. 11, 22.

nos „doctrinam de Unione personali“ appellare consuevimus. Etenim si Dominus noster verus Deus de Deo est, atque verus homo de Maria virgine natus, non possumus quin interrogemus, quo tandem modo natura divina cum humana unita sit? Controversiae de hac doctrina non nisi post Cyrilli tempora in ecclesia exortae sunt. Tertia oecumenica synodus, anno 431. Ephesi habita Nestorianam doctrinam condemnavit, quarta autem, anno 451. Chalcedone habita, Monophysiticam. Haud igitur mirum est, Patres ante Nestorianam atque Eutychianam aetatem minus caute et accurate de unione personali atque de communione naturarum locutos esse. Quae quum ita sint, quis erit, qui Cyrillum, locutionem Nestorianum aut Eutychianum aliquid sonantem in ejus scriptis indagans, haereseos accusare audeat? Sed videamus ipsi, si quae hujusmodi locutiones apud nostrum inveniantur. Quid? Nonne Nestorianismum quodammodo sapiunt, quae leguntur Cat. IV, 9. Christum duplicem fuisse, hominem nimirum quantum ad id quod videbatur, Deum autem quantum ad id quod latebat? Manducavit vere ut homo sicut et nos, sed ut Deus quinque millia hominum ex quinque panibus nutrivit. Vere mortuus est ut homo, sed mortuum quatriduanum ad vitam revocavit ut Deus. Dormivit in navigio vere ut homo, sed ambulavit super aquas ut Deus. Adde, quod de aeterna Filii generatione disserens Cat. XI, 20. „Ne attendas, inquit, ad eum, qui nunc ex Bethleem egressus est, sed eum adora, qui sempiterno e Patre genitus est.“ Conveniunt cum verbis modo laudatis, quae exstant in homilia Cyrilli de paralytico ad Bethesdae piscinam cap. 9: „Ne eum consideres, qui exterius videtur (filium nimirum hominis), sed eum, qui efficaciter agit per eum, qui videtur (filium scilicet Dei).“ Si quis vero ex verbis modo allatis Nestorii praecursorem fuisse Cyrillum concludere velit, hunc rejiciam ad locum Cat. XI, 19, quo Mariam disertis verbis παρθένον τὴν θεοτόκον ille nuncupat.

Non tam intererat Cyrilli, de naturarum communione disputare, quam veritatem utriusque naturae contra Gnosticos et Arianos tueri. De iis, quae saeculo quinto orthodoxi patres definierunt contra Nestorium et Eutychem, non magis cogitavit Noster quam de iis, quae subtilius atque argutius quam ingeniosius a theologis lutheranis saeculi decimi septimi excogitata sunt in controversiis cum reformatis. Si unusquisque Nestorianae haereseos reus erit, qui Scripturam sacram pie secutus negat, „proprietates naturae divinae per unionem hypostaticam naturae Christi humanae vere et realiter communicatas esse, et quidem ad communem possessionem, usurpationem et denominationem, ita ut humana natura Salvatoris nostri revera sit omnipraesens, omnipotens atque omniscia", si, inquam, unusquisque, qui haec negat, Nestorianus erit: tum profecto Cyrillus Nestorii praecursor dicendus est, tum omnes ecclesiae secundum verbum divinum reformatae nil nisi surculi sunt haereseos Nestorianae. Tantum autem abest hujusmodi criminationes ut verae sint, ut potius in eos recidant, a quibus profectae sunt. Egregie enim Ebrardus in libro „Christliche Dogmatik" *) monuit, doctrinam illam theologorum lutheranorum e Nestorianis principiis procedere atque in Eutychianismo et Monotheletismo terminari.

## §. 14. De officio Jesu Christi mediatorio.

Patres ecclesiae, de officio Christi mediatorio disserentes, nunquam iis, quae hodie usitatae sunt, distinctionibus utuntur. Nunquam de munere Christi triplici, de prophetico sc. sacerdotali et regio loquentes eos audimus. Cyrillus, ut hunc potissimum afferam, omnia quae de munere sacerdotali dicenda sunt,

*) Vol. 2, p. 125—141.

in explicandis Symboli verbis: „passus, crucifixus“ profert. Omnia autem ad munus regium spectantia explicat disserens de ascensione et de reditu futuro Domini. Quae ad munus propheticum attinent, hic illic in Catechesibus de altero symboli articulo sparsa invenimus. Quum autem generis humani redemtio minus doctrina quam morte Domini nostri niti Cyrillo videretur: brevissime tantum de iis locutus est, quae ad munus propheticum spectant. Quae quum ita sint, jam indagandum erit, quid senserit Noster de morte Jesu Christi expiatoria.

Quamnam inhumanationis Filii causam primariam duxerit Cyrillus, supra (§. 13. p. 97) jam exposui. Generis humani miseria quum tanta esset, ut neque angelus neque homo nobis mederi posset, sed ut Deo ipso indigeremus Salvatore: Deus, misericordia commotus, per unigenitum Filium salvos facere homines decrevit. „Sic enim dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.“ *) Filius Dei in has terras venit, ut redimeret genus humanum. Quid autem fecit ad nos redimendos? Passus et mortuus est. Ipse autem sanctus atque innocens fuit.**) „Peccatum enim non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.“ ***) Pilatus ipse, qui sententiam in Dominum dixit, testis innocentiae ejus est, affirmans: „Nihil invenio causae in homine isto.“ Quum vero crucifigendum eum traderet, abluens manus, „Innocens, inquit, sum a sanguine justi hujus.“ Adest alius quoque innocentiae Jesu testis, qui primus paradisum adiit latro, sodalem increpans atque clamans: „Nos digna factis recipimus, hic autem nihil mali fecit.“ Non propter peccata sua crucifixus est, non propter pecuniarum cupiditatem; inopiae

---

*) Jo. 3, 16.
**) Cat. 13, 3. 4. 5.
***) 1. Petr. 2, 22. Jes. 53, 9.

enim et abdicandarum possessionum doctor erat; non ob libidinosam cupiditatem, ipse enim diserte dicit: „Quicunque in mulierem inspexerit ad concupiscendum, jam eam moechando violavit.“ *) Non quasi ex petulantia quempiam percussisset aut verberasset, praebuit enim et alteram maxillam percutienti. Non quod legem contemsisset, ipse enim legem adimplebat. Nullo peccato verbis, operibus, cogitationibus admisso ductus est ad mortem. Multi per orbem crucifixi sunt, sed hi omnes propter propria peccata mortui. Christus autem crucifixus est non propter propria, sed pro alienis peccatis. **) Crucifixus est pro peccatis nostris. ***) Ipse enim agnus Dei est, qui tollit peccata mundi. †) Persaepe hoc a Cyrillo repetitur, Jesum Christum mortuum esse pro nostris peccatis, pro omnibus hominibus etc. Quum autem diversis modis theologi interpretati sint praepositionem ὑπὲρ, qua usus est Noster, operae pretium erit inquirere in Catecheses, ut intelligamus, quo sensu Cyrillus usus sit praepositione illa ὑπέρ. Locum classicum invenimus in capite trigesimo tertio Catecheseos XIII. „Nos, inquit, inimici Dei eramus per peccatum. Deus autem decrevit, peccantem morte esse mulctandum. Ex duobus igitur alterum fieri necesse erat: ut aut Deus sibi constans (ἀληθεύων) omnes interimeret, aut clementia usus (φιλανθρωπούμενος) datam sententiam dissolveret. Sed vide sapientiam Dei: servavit et sententiae suae firmitatem, et clementiae efficaciam. „Assumsit Christus peccata in corpore suo super lignum, ut nos per mortem ejus peccatis mortui, justitiae viveremus.“ ††) Non minimi

---

*) Matth. 5, 28.

**) οἱ μὲν δὶ οἰκείας ἁμαρτίας ἀπέθανον, ὁ δὲ ὑπὲρ ἁμαρτιῶν ἀλλοτρίων. Cat. 13, 3.

***) ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. Cat. 4, 10.

†) Joann. 1, 29. Cat. 13, 19.

††) 1. Petr. 2, 24.

terfecit. Morte igitur Jesu Christi diabolus deceptus est, vis ejus soluta. Quare diabolus omnesque daemones crucem timent, ipsumque duntaxat crucis signum conspicati expavescunt.

Restat, ut doctrinam Cyrilli de descensu ad inferos proponamus, quae arctissime cum iis cohaeret, quae modo explicavimus. Obiter jam dixi (§. 12. p. 93.) quid fere de hoc doctrinae capite protulerit Noster: hoc loco accuratius ejus sententiam examinemus. De descensu in inferna aperte loquitur Cyrillus in Catechesi quarta de decem dogmatibus cap. 11: „Descendit, inquit, in subterranea *), ut et illinc justos redimeret. Vellesne enim, quaeso, vivos quidem gratia frui, idque quum plurimi ex his sancti non sint: eos vero, qui ab Adamo usque longinquo tempore conclusi **) fuerant, libertatem tandem non consequi? Jesaias propheta tam multa de eo alta voce praedicavit, non velles ut rex descendens suum praeconem liberaret? Erat illic David et Samuel et prophetae omnes, ipse quoque Joannes, qui per legatos suos dicebat: „Tu es, qui venturus est, an alium exspectemus?“ Non velles, ut tales viros descendens liberaret?“

Omnes igitur justi veteris Testamenti ex Cyrilli sententia non in coelum assumti erant post mortem, sed in carcere quodam subterraneo concludebantur. Christus autem, qui non pro vivis solum mortuus est, sed pro mortuis etiam, in carcerem illum descendit, ut illos liberaret. Redemtionis participes illi facti sunt per descensum Domini in inferna. Duae jam quaestiones hic se offerunt solvendae, prima: Quid cogitaverit Noster de justorum statu, e quo Christus eos eduxit? altera: quid senserit de eo, quem nunc post liberationem ingressi sunt statum?

---

*) Κατῆλθεν εἰς τὰ καταχθόνια.
**) ἀποκεκλεισμένοι.

Quod ad primam quaestionem attinet, supra jam verba illa attuli de diabolo per mortem Christi decepto, quae ita se habent: „Esca morti objecta fuit corpus, ut, cum illud se devoraturum speraret draco, etiam evomeret, quos jam devoraverat.“ *) Draconem atque mortem hic promiscue sumit ac pro uno eodemque habet. A diabolo igitur justi devorati erant, sive, quod idem est, sub mortis imperio tenebantur. Quare locus ille, in quo concludebantur, plane idem esse videtur ac שְׁאוֹל veteris Testamenti et ᾅδης novi Testamenti, neque vero confundendus cum eo loco, quem γέεννα novum Testamentum appellat. Confirmat hanc nostram sententiam locus ille valde memorabilis, quem supra jam laudavimus **): „Exterrita mors est, novum quendam in infernum (εἰς ᾅδην) descendentem videns, qui vinculis hujus loci non tenebatur. Qua de causa, o inferni janitores (ὦ πυλωροὶ ᾅδου), eum videntes expavistis? etc. Redemti sunt sancti omnes, quos mors absorbuerat. Tum vero quilibet justorum dicebat: „Ubi est mors victoria tua? ubi tuus, o inferne (ᾅδη), stimulus?““

Haec ad primam quaestionem sufficiant; ad alteram animum advertamus. Quid fere senserit Noster de conditione justorum post liberationem e carcere, ex iis discere possumus, quae Cat. XIII, 31. exstant. De latrone nimirum locutus, qui cum Christo crucifixus erat, cui: „Amen dico tibi, inquit, hodie mecum eris in paradiso;“ hoc modo pergit: „O ingentem et ineffabilem gratiam; nondum Abraham ille fidelis ingressus est, et latro ingreditur. Nondum Moses et prophetae, et latro iniquus intrat. Admiratus id etiam ante te est Paulus, dicens: „Ubi abundavit peccatum, ibi superabundavit gratia.“ ***) Qui

*) Cat. 12, 15.
**) Cat. 14, 19.
***) Rom. 5, 20.

pertulerant aestum, nondum ingressi sunt, et qui circa undecimam horam venit, ingressus est."

Non errare mihi videor ex his verbis concludens, patriarchas et prophetas ex inferno eductos cum, in quem latro modo erat receptus, paradisum esse ingressos. Eorum sententiam, qui de terreno hic cogitant paradiso, mihi non placere, supra §. 12. p. 77. jam professus sum. Nullus enim dubito, quin de loco quodam coelorum cogitaverit Noster, quare de altera illa quaestione ita statuendum mihi videtur: Fideles veteris Testamenti, per Christi ad inferos descensum liberati, in paradisum coelestem translati sunt, ut una cum sanctis novi Testamenti de victoria Domini nostri in aeternum gloriarentur. — His, quae de descensu ad inferna monenda putavi, jam absolutis, doctrina de officio Christi regio erit proponenda. Ad quam quum accedo, pauca antea monenda habeo de morte Jesu Christi expiatoria; pertinent haec ad doctrinam de Satana decepto et superato atque ad doctrinam de satisfactione vicaria.

Quum omnes fere, qui ante Cyrilli aetatem floruerunt patres ecclesiae, de diabolo per passionem et mortem Domini nostri debellato locuti essent: tum Irenaeus et Origenes huic doctrinae excolendae operam navarunt, vario modo eam exponentes atque exornantes. Ac tria praecipue docendi genera inveniuntur, quae brevissime hic adumbrabo. Primum apud Irenaeum*) exstat, hoc fere modo: „Diabolus homines in sua potestate habuit, colligans eos per transgressiones et apostasiam. Liberari igitur e servitio homines nequiverunt nisi superato diabolo a fortiori. Dominus noster fortior dracone est. Is in passione cum diabolo pugnavit atque superavit eum per obedientiam suam usque ad mortem, immo mortem crucis. Tyranno jam praeda a victore erepta, captivi, carceris custode

*) lib. V, 21, 3.

devicto, liberati sunt. Paullo aliter idem Irenaeus hanc doctrinam exponit ita scribens: *) „Injuste quidem diabolus homines in suam redegerat potestatem. Deum autem non decuit eodem modo homines diabolo eripere, quippe quum omnia, quae Deus facit, „rationabiliter et juste“ faciat. Quare redimi pretio aliquo debebant homines. Hoc pretium Satanae datum sanguis est Domini nostri Jesu Christi. Quo redemptionis pretio accepto non diutius captivos retinere homines licuit diabolo. Jam e servitio liberatis Christus spiritum Dei atque incorruptelam impertire potuit.“

Alteram hanc docendi rationem ei quam supra proposuimus non contradicere, sed optime utramque congruere, recte monuit Baehr in libro: „Doctrina ecclesiae de morte Jesu cet.“ pag. 65. 66. **) Hoc enim maxime cordi fuit Irenaeo demonstrare, omnia juste et legitime facta esse in generis humani redemptione. Juste devictus est diabolus per obedientiam Christi. Juste redemti sunt homines ab ejus potestate per sanguinem Christi. Tertio docendi genere Origenes usus est, hoc fere modo de morte Christi locutus: „Homines per peccata servi diaboli facti sunt. Ille et animam Jesu poposcit. Deus propter misericordiam erga genus humanum Jesum Satanae tradidit, atque Jesus Patri obediens se tradi passus est. Diabolus autem propter timorem, ne avelleretur de manu ipsius genus humanum per doctrinam Domini, Judae eum tradidit, non advertens, per ipsam Salvatoris mortem potius redimendum esse genus humanum, quam per doctrinam et mirabilia. Judas propter avaritiam sacerdotibus Dominum tradidit, sacerdotes propter invidiam crucifigendum eum tradiderunt. Crucifixus est Dominus, et per mortem exuens principatus et dominationes,

*) lib. V, 1.

**) Die Lehre der Kirche vom Tod Jesu in den ersten drei Jahrhunderten, von K. Bähr. Sulzbach 1832.

triumphavit de iis in ligno." Origenis igitur sententia eo redit: Diabolus Dominum interficiens impedire voluit, quominus homines redimerentur. Ignoravit enim sapientiam Dei in mysterio occultam, secundum quam per ipsam Domini mortem homines e potestate diaboli liberandi erant. Seipsum igitur decepit diabolus, Dominum interficiendum tradens, atque in ipsum, quod alii intenderat, periculum incidit. Quibus, ne justo diutius hac in re commoremur, hoc tantum addere placet, Cyrillum de diabolo per Christi mortem superato loquentem consuetam omnibusque usitatam doctrinam proposuisse, atque id ipsum, quo usus est, genus docendi per Origenem jam fuisse excultum, quare ea, quae Noster exposuit, licet nobis insolita videantur, auditores tamen offendere nullo modo potuerunt.

His absolutis, ad ea, quae de satisfactione vicaria observanda mihi videntur, accedam.

Ecclesia nostra non eandem, quam patres, docendi rationem secuta est. Etenim disertis verbis theologorum nostrorum quidam, clarissimus Hutterus in locis theologicis dixit: „Neque diabolus neque peccatum neque mors neque infernus, sed Deus ipse erat principalis detinens captivum genus humanum, ut qui carceri infernali mancipaverat illud per hanc sententiam: morte morieris. Diabolus autem tantum lictoris partes sustinuit; peccatum erat instar vinculorum, mors et infernus instar carceris. Proinde non diabolo, non peccato, non morti aut inferno sed Deo pretium redemtionis exsolvendum erat, in cujus solius potestate erat positum, liberum denuo pronuntiare genus humanum, idque in gratiam redimere, dummodo justitiae suae ex asse esset satisfactum."

Quid igitur nostra ecclesia docet de satisfactione Christi vicaria? Hanc fere doctrinam unanimiter theologi nostri tenuerunt: „Deus non modo summe misericors est, sed et summe justus. Atqui haec Dei justitia exigebat ab universo genere

humano eas poenas, quas Deus ipse in paradiso primis parentibus, si legem propositam transgrederentur, denuntiaverat. Ergo misericordiae Dei locus haud esse potuit, priusquam justitiae divinae esset satisfactum. Ad satisfactionem poenalem vicariam autem requiritur: 1) surrogatio, qua in debitoris locum alius substituitur, et translatio culpae sive criminis alieni imputatio; 2) poenarum luitio, quas surrogatus vas aut sponsor loco debitoris persolvit, ita ut judex justus debitorem a culpa et poena immunem pronuntiare possit. Haec omnia Christus Deus et homo consummavit. Dominus enim noster lubens volensque se ipsum vadem et sponsorem pro toto genere humano substituit, omnibusque et singulis totius mundi peccatis in se receptis, Deo perfectissima obedientia sua et poenarum, quas homines meruerunt, perpessione, toto exinanitionis tempore, inprimis ultimo agone hisce in terris ipsorum loco satisfecit, et sic satisfaciendo omnibus ac singulis hominibus omnium peccatorum remissionem, ab omnibus peccatis immunitatem, gratiam et pacem cum Deo, aeternam justitiam et salutem acquisivit et promeruit."

Haec de satisfactione vicaria Christi doctrina „Anselmica" fere semper appellatur, quum plerique existiment, eam, quae inde a Reformatorum temporibus in ecclesiis nostris proposita est doctrina, in Anselmi celeberrimo libro: „Cur Deus-homo?" iisdem verbis traditam inveniri. Sed nostros doctores, atque Anselmum qui accurate inspexerit, valde erroneam esse illam maxime divulgatam opinionem facile intelliget. Quare discrimen, quod inter Anselmum et nostros doctores intercedit, licet et hi et ille uno eodemque satisfactionis verbo utantur, paucis hoc loco proponere, non a re alienum videtur. Nostri nimirum a praecepto illo proficiscuntur, quod Deus primis hominibus in paradiso proposuit, atque a poenae comminatione praecepto illi annexa. Deus quasi justus semperque sibi constans judex

proponitur, qui dicit: Quae semel ego dixi, ea utique fieri necesse est. Quum igitur Deus semel dixisset, transgredientibus illud praeceptum esse moriendum, a sententia mortis peccatores liberari non potuerant, nisi justa judicis sententia in alio, qui sponsoris et vadis partes sustinuit, rite adimpleta. Tota haec nostrorum expositio, a lege lata per Deum proficiscens, juridica est. Deus est legislator et judex. Homo est reus. Christus poenam reorum luit. Quo facto Deus actu forensi reos absolvit et justos declarat. Satisfactio Christi necessaria fuit, quia Deo placuerat praeceptum illud proponere. Sed utrum necessarium fuerit, Deum hanc legem ferre nec ne, hoc nostri non deciderunt. Etenim cogitari potest, praeceptum illud a Deo propositum esse ex mero libero beneplacito, ita ut tam proponere, quam non proponere praeceptum pro lubitu potuisset. Cogitari autem quoque potest, in essentia ipsa Dei causam inveniri, qua utique lex illa fuerit ferenda, ita ut nullo modo non proponere praeceptum potuerit Deus. Utrum primum an alterum pro vero sit habendum, quum ad philosophiam pertineat, non definierunt nostri, qua in re iis, quae ecclesiae doctrina postulat, non satisfecisse mihi videntur. Anselmus autem non tanquam jureconsultus, sed tanquam philosophus disseruit in libro supra jam laudato,*) non a praecepto quodam profectus, sed a natura et essentia Dei atque a natura peccati. Per primorum hominum peccatum non tam unum Dei praeceptum est violatum, quam ipsa majestas divina laesa. Deo aliquid ereptum atque ablatum est, quod possidebat. Deus ipse violatus et exhonoratus est per peccatum. Quae quum ita sint, utique honor Deo detractus restituendus fuit non ex

---

*) Cf. egregiam expositionem doctrinae Anselmi, quam nobis dedit Hasse in praeclaro libro: „Anselm von Canterbury“ tom. II. pag. 485 sqq. inprimis inde a pag. 508.

sententia quadam judicis, quae enuntiari vel non enuntiari pro lubitu potuit, sed ipsa Dei essentia restitutionem poscente. Quum autem homines id, quod majestati divinae rapuerant, restituere non possent, Christus hominum vice hanc restitutionem persolvit. Itaque non plane eandem esse Anselmi et nostrae ecclesiae doctrinam, quis, quaeso, negabit? Hoc autem aeque statuendum, utramque docendi rationem in gravissimis iisque primariis principiis non discrepare sed optime concordare. Neque hoc mirum videri debet, quum et Anselmus et nostri theologi tantum abest ut plane novam atque inauditam doctrinam excogitaverint Christianis obtrudendam, ut iis potius nitantur, quae jam longe antea doctores ecclesiae indicaverant. Initia enim et semina hujus doctrinae jam ante saeculum undecimum, quo Anselmus Cantuariensis floruit, reperiri constat. Saeculo octavo Joannes Damascenus quam acerrime oppugnavit doctrinam de sanguine Christi diabolo pro redemtionis pretio dato.*) Athanasius Magnus, orthodoxiae pater, qui eodem, quo Cyrillus tempore floruit, clarissime et distincte doctrinam de satisfactione Deo per Christum oblata proponit.**) Gregorius

---

*) „Absit, ut tyranno sanguis Domini sit oblatum." De fide orthod. lib. III, 27. ed. Lequien, Parisiis 1712. tom. I. p. 203. Sed paucis interjectis ipse Damascenus vetustiorem de diabolo decepto doctrinam repetit: „Accedit, inquit, mors, corporisque escam avide deglutiens, divinitatis hamo transfigitur, atque degustato insonte et vivifico corpore ipsa interit, omnes quos olim absorbuerat, evomens." Eodem modo l. l. cap. I. dixerat: „Quoniam hostis spe divinitatis hominem pellexerat, ipse vicissim objecta carne velut esca capitur."

**) Athanasii oratio „de incarnatione Verbi" opp. ed. Bened. Vol. I. pag. 47 sqq. cf. Moehler, Athanasius der Grosse vol. I, pag. 157. „Mors vi legis contra nos valebat. Verax Deus non fuisset, si, mortis sententia semel prolata, homo non moreretur. Alia autem ex parte indecorum erat, creaturas ratione praeditas et verbi Dei participes factas corruptione in nihilum reverti. Hoc divina clementia prorsus indignum fuisset. Quid igitur hic agere debuit

Nazianzenus licet de satisfactione vicaria non cogitaverit, nullo tamen modo concedit, sanguinem Domini Satanae esse oblatum. Immo Deum Patrem hoc redemtionis pretium accepisse dicit, propter ordinem salutis a se constitutum. *) — Cyrilli doctrinam, quam Cat. XIII, c. 33. explicavit, supra jam proposuimus. Quae quum ita sint, dubitari nequit, quin doctrina de satisfactione Christi vicaria inde a saeculo quarto in ecclesia viguerit. Quid trium priorum saeculorum patres senserint, exponere praetermitto. Longum enim est et a proposito nostro alienum, de hac re pluribus disputare. Inter ipsos viros doctos non satis convenit, quid judicandum sit, quum doctissimus Baehr in libro supra laudato „de morte Jesu" acerrime con-

---

Deus? Cujusnam opera necessaria fuit hominibus, nisi Dei Verbi, a quo omnia ex nihilo initio facta sunt? ipsius siquidem erat, id quod corruptum erat, incorruptum iterum reddere et pro omnibus id, quod Patrem decebat, implére. Cum enim Patris sit Verbum et omnibus longe antecellat, solus quoque ipse idcirco universa instaurare poterat, solus idoneus fuit, qui pro omnibus pateretur et pro cunctis apud Patrem intercederet."

*) Gregorii Naz. orat. 45. (in sanctum pascha) opp. ed. Bened. tom. I. p. 862. 863. cf. Ullmann, Gregor von Nazianz, der Theologe. p. 456. 457. Τίνι τὸ ὑπὲρ ἡμῶν αἷμα, καὶ περὶ τίνος ἐχέθη, τὸ μέγα καὶ περιβόητον τοῦ θεοῦ καὶ ἀρχιερέως καὶ θύματος; κατειχόμεθα μὲν γὰρ ὑπὸ τοῦ πονηροῦ, πεπραμένοι ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, καὶ ἀντιλαβόντες τῆς κακίας τὴν ἡδονήν. εἰ δὲ τὸ λύτρον οὐκ ἄλλου τινὸς ἢ τοῦ κατέχοντος γίνεται, ζητῶ τίνι τοῦτο εἰςηνέχθη, καὶ δι' ἥντινα τὴν αἰτίαν; εἰ μὲν τῷ πονηρῷ, φεῦ τῆς ὕβρεως· εἰ μὴ παρὰ τοῦ θεοῦ μόνον ἀλλὰ καὶ τὸν θεὸν αὐτὸν λύτρον ὁ λῃστὴς λαμβάνει, καὶ μισθὸν οὕτως ὑπερφυῆ τῆς ἑαυτοῦ τυραννίδος, δι' ὃν καὶ ἡμῶν φείδεσθαι δίκαιον ἦν· εἰ δὲ τῷ Πατρί, πρῶτον μὲν πῶς; οὐχ ὑπ' ἐκείνου γὰρ ἐκρατούμεθα. δεύτερον δὲ, τίς ὁ λόγος, μονογενοῦς αἷμα τέρπειν Πατέρα, ὃς οὐδὲ τὸν Ἰσαὰκ ἐδέξατο παρὰ τοῦ πατρὸς προςφερόμενον, ἀντηλλάξατο τὴν θυσίαν, κριὸν ἀντιδοὺς τοῦ λογικοῦ θύματος; ἢ δῆλον ὅτι λαμβάνει μὲν ὁ Πατὴρ, οὐκ αἰτήσας οὐδὲ δεηθεὶς, ἀλλὰ διὰ τὴν οἰκονομίαν, καὶ τὸ χρῆναι ἁγιασθῆναι τῷ ἀνθρωπίνῳ τοῦ θεοῦ, τὸν ἄνθρωπον· ἵν' αὐτὸς ἡμᾶς ἐξέληται, τοῦ τυράννου βίᾳ κρατήσας, καὶ πρὸς ἑαυτὸν ἐπαγάγῃ διὰ τοῦ υἱοῦ μεσιτεύσαντος, καὶ εἰς τιμὴν τοῦ Πατρὸς τοῦτο οἰκονομήσαντος, ᾧ τὰ πάντα παραχωρῶν φαίνεται.

tendat, ne levissimum quidem doctrinae de satisfactione vicaria vestigium hoc tempore inveniri; Neander autem omnia fundamenta atque initia doctrinae de redemtione prima hac periodo jam occurrere pronuntiaverit, quae postea ab ecclesia magis exculta sint et explicata.*) Ac mihi quidem animo in judicando minus libero patrum scripta examinasse videtur Baehr quam Neander, quare huic potius assentiendum videtur quam illi.

Jam quae de exaltato Domino nostro docuerit Cyrillus, brevissime adumbremus. Quae fere habet de resurrectione, supra §. 12. p. 92. monita invenis. Quantum Domini resurrectio ad redemtionem consummandam valeat nosque ad vitam aeternam adducendos, Cyrillum non exposuisse, valde dolendum est. Aeque autem de regio Domini officio silet, quo a dextris Patris sedens fungitur. Ea tantum Noster proponere voluit, quae ad secundum Christi adventum judiciumque novissimum spectant. De his oratione decima quinta fusius loquitur. Tres partes haec habet oratio, quarum prima in exponendis secundi Christi adventus signis et rationibus versatur. Discrimine, quod inter primum et secundum Christi adventum intercedat, ex novo et vetere Testamento illustrato, mundi occasum et reparationem in secunda illa parusia futuram esse monet. Tempus secundi adventus licet ignotum esse hominibus dicat, tamen proximum esse judicat, signa Dominum praecurrentia suo jam tempore se deprehendisse ratus.

*) cf. Hist. eccl. I, 3. p. 1070. „Was das Erlösungswerk betrifft, so finden wir in dieser Periode schon alle Grundelemente der spätern kirchlichen Entwickelung dieser Lehre, nur noch nicht so genau bestimmt, und noch nicht so scharf gesondert. Grösstentheils sprachen die Kirchenlehrer ohne Streben nach scharfer dogmatischer Begriffsbestimmung, aus der Fülle des christlichen Gefühls und christlicher Anschauung, wie diese aus der lebendigen Aneignung der biblischen Lehre ihnen geworden war.“

Multa habet de his signis, quae sane in Cyrillianae doctrinae expositione silentio praeteriri nequeunt. Signum primum ex verbo Domini Matth. XXIV, 4. 5. colligit, impostores esse Christi nomen sibi usurpantes. Quorum e numero Simonem illum Magum et Menandrum et alios sceleratos haeresiarchas fuisse dicit, quos hisce temporibus et postea alii sequentur. Simon Magus ex omnibus fere Patrum scriptis notissimus est. De Menandro pauca tantum Irenaeus prodidit, e quibus colligimus e numero Goëtarum istorum Samaritanorum eum fuisse.*) Signum secundum bella et rumores bellorum laudat, quod vaticinium impletum esse putat bello his temporibus a Romanis cum Persis gesto. Ut bellum ita fames et pestilentiae et terrae motus prope adventum Domini adesse demonstrant. Signum tertium dissidia ecclesiastica sunt, secundum illud: „Scandalum patientur multi et alius alium invicem tradent, seque odio habebunt.“ **) Si audieris, inquit, quod episcopi adversus episcopos, et clerici contra clericos, et populi sive laici contra populos ad sanguinem usque grassantur, ne perturberis, praedictum enim antea fuit in scripturis. Non dubito, quin de rixa inter Athanasium et Arianos exorta Cyrillus loquatur. Quae quidem dissidia ita commemorat, quasi neutri parti addictus, sed utramque suspectam habens, et in utraque scandali causam et fraternum odium haerere existimans. Graviter de eo conqueritur, quod „multorum charitas refrigescat“, haec addens: „Praesentiumne quisquam, se sinceram et absque simulatione adversus proximum amicitiam habere gloriaturus est? Nonne persaepe et labia osculantur et vultus arridet et hilares sunt oculi, cum pectus machinatur dolum, et struit mala, qui pacifica loquitur?“ Cyrillum saeculo quarto de signis adventum Domini

*) cf. Neander, hist. eccl. I, 2. p. 780. not.
**) Matth. 24, 10.

annuntiantibus plane eodem modo esse locutum videmus, quo Lutherus noster saeculo decimo sexto, quo multi nostris his temporibus saeculo undevigesimo. Increduli et blasphemi homines semper in terris fuerunt, bella nunquam desierunt, fames et pestilentiae omnibus temporibus reperiuntur, dissidia ecclesiastica inde ab initio fideles distraxerunt. Quare omnibus temporibus adventum Christi secundum jamjam adesse a multis creditum est. Ne igitur Cyrilli credulitatem criminemur, sed Domini illud: „Vigilate" Christianis inculcare in animo ei fuisse credamus.

Quartum insuper commemorat signum, evangelium in toto orbe omnibusque gentibus jam praedicatum. Fusius hoc explicat Cat. XVI, 22, populos jam ad fidem adductos enumerans, Persarum gentes et Indorum nationes, Gothos et Sarmatas, Gallos Hispanosque, Mauros, Afros, Aethiopes, reliquos, quorum ne nomina quidem se nosse confitetur. „Hi omnes episcopos habent, presbyteros et diaconos, monachos et virgines, ceterosque laicos a Spiritu sancto diversis gratiarum donis ditatos." Mira sane celeritate tribus primis ecclesiae saeculis per orbem propagatum est evangelium, quare et hic causam equidem non video, quare minus recte judicasse Cyrillum statuamus. His fere signis praecedentibus, apostasia illa veniet, de qua Paulus apostolus loquitur 2. Thess. 2, 3 seqq. „Nunc vero, inquit Cyrillus, defectio est. Defecerunt enim homines a recta fide, alii Filiopaternitatem praedicantes, alii Christum ex non exstantibus ad esse perductum esse dicere audentes. Prius quidem conspicui erant haeretici, nunc autem occultis haereticis repleta est ecclesia. Defecerunt homines a veritate, defecerunt a pura doctrina, malum eligentes, bonum rejicientes." Videsne iisdem verbis corruptum ecclesiae statum deplorare Cyrillum, quibus hodie de fidei et vitae pernicie multi conqueruntur? Post hanc apostasiam Antichristus veniet. Diabolus enim hominem quendam magum producet ac fallacis veneficiorum incantatio-

numque perversae artis peritissimum, qui Romani imperii dominationem usurpabit, seque Christum falso appellabit. Decem simul Romanorum reges exsurgent, post hos undecimus erit Antichristus. Postquam vero tres annos et sex menses regnaverit, maxima crudelitate in fideles saeviens, a secundo Domini nostri adventu delebitur. Christus enim spiritu oris sui Antichristum abolebit eundemque igni sempiterno tradet.

In secunda parte catecheseos XV. de resurrectione mortuorum et de judicio novissimo loquitur Noster, quae hic afferre nolim, quum, quae ad doctrinam de novissimis spectant, capite sequenti explicanda mihi proposuerim. Hoc tantum monendum habeo, verbum illud Domini de „signo Filii hominis in coelo“ *) Cyrillum interpretari de lucidae crucis signo in coelis apparenti atque Regem praecedenti. Signum crucis terror erit hostibus, gaudium amicis, qui in eum credidere vel eum praedicavere vel pro eo passi sunt. Judicio habito Christus regnabit in aeternum, quare haereticis ne credas dicentibus, finem habere Christi regnum. De aeterno Domini regno tertia orationis parte disserit Noster, eos, qui contrarium tenebant, haereticos Scripturae testimoniis refellens.

---

## CAPUT III.

### De symboli articulo tertio.

Omnia, quae de symboli articulo tertio disputanda videbantur Cyrillo, tribus sermonibus absolvit, Cat. XVI. et XVII. de Spiritu sancto, Cat. XVIII. de novissimis et de ecclesia disserens.

---

*) Matth. 24, 30.

Quibuscum ea hoc simul loco tractanda videntur, quae in Catechesibus quinque mystagogicis de s. baptismo et de s. coena disseruit. Qua de causa omnia hoc capite tractanda mihi proposui, quae in novissimis tribus illuminandorum catechesibus et in quinque mystagogicis inveniuntur. Primum igitur Cyrilli de Spiritu sancto et de sacrosancta Trinitate doctrinam explicabo, deinde de mediis gratiae disseram, de verbo sc. divino et de sacramentis; tum de liturgia et de ecclesia dicam, quam disputationem doctrina de novissimis excipiet.

## §. 15. De Spiritu sancto et de sacrosancta Trinitate.

Disertis verbis Cyrillus Spiritum sanctum una cum Patre et Filio honorandum esse dicit.*) Idem de Spiritu sancto quod de Patre et de Filio**) sentiendum est. Quum autem pro imbecillitate nostra substantiam Spiritus sancti accurate enuntiare nequeamus — investigabile quiddam enim est spiritus Dei — ea tantum de illo dicamus, quae scripta sunt. Si quid vero scriptum non fuerit, ne curiose sciscitemur. Ea dicamus, quae ipse de seipso dixit in Scripturis; quae ille non dixit, nos haud anxie scrutemur.***) — Unus est solus Spiritus sanctus, Paracletus; et quemadmodum unus est Deus, Pater, neque est secundus Pater; et sicut unus est unigenitus Filius et Verbum Dei, fratremque non habet: sic unus est solummodo Spiritus sanctus, neque est secundus Spiritus ipsi honore par. Immo ille est maxima potestas, divinum quiddam (θεῖόν τι) et investigabile. Una cum Patre et Filio in sacrosancta Triade baptismi

*) Cat. 16, 4.
**) Cat. 4, 16.
***) Cat. 16, 2.

tempore Spiritus sanctus comprehenditur, ipse enim unigenitus Dei filius diserte dixit: „Docete omnes gentes baptizantes eos in nomen Patris et Filii et Spiritus sancti.“ Quare spes nostra in Patrem et Filium et sanctum Spiritum. Non autem tres Deos annuntiamus, ut Marcionistae, verum cum sancto Spiritu per unum Filium unum Deum praedicamus. Neque separamus sanctam Trinitatem, neque confusionem ut Sabellius facimus; sed pie novimus unum Patrem, qui filium nobis misit; unum Filium, qui se missurum esse a patre Paracletum pollicitus est, atque unum Spiritum sanctum, qui locutus est per prophetas et descendit super apostolos. Caveamus igitur diversas quorundam aberrationes, ne forte et ipsi in errores inducamur, sed ut una regia via nos omnes incedamus. Odio sint haeretici, qui etiam adversus Spiritum sanctum infanda dicere ausi sunt, ut Simon Magus, Gnostici, Marcionistae, Cataphryges et Montanus, atque omnium impiissimus Manes, qui omnia omnium haereseon vitia collegit. Saepius jam monui, non semper ea qua par est prudentia in oppugnandis haereticis usum esse Cyrillum. Parum diligens in proponenda haereticorum doctrina, vehementissime eorum vitam probris insectari solet, ita quidem ut ea, quae hoc quoque loco de impurissimis Montanistarum mysteriis dicit, repetere taedeat. *)

His fere de persona et natura Spiritus sancti disputatis, ad officium sive operationes Spiritus sancti explicandas accedit. Valde memorabile est, quod de munere dicit, quo inter angelos fungatur Spiritus sanctus. Exposuerat nimirum Cyrillus, quantum differat sanctus Spiritus ab alio quopiam spiritu. Angeli spiritus nominantur. Anima nostra spiritus dicitur; et ventus iste qui spirat, spiritus appellatur; et virtus magna vocatur spiritus. Cave igitur, ne ista cum audis, ex similitudine ap-

*) Cat. 16, 8.

pellationis alterum pro altero accipias. Cave, ne nominis similitudine deceptus in alia abripiaris, sed quod accurate verum est, conserva. Spiritus sanctus illuminat sanctos, adeoque praefectus est omnium angelorum. Ascende cogitatione usque ad primum coelum et contemplare tam multa, quae ibi existunt innumerabilia angelorum millia. Cogitatione etiam, si vales, ad altiora ascende. Conspice archangelos, virtutes, principatus, potestates, thronos et dominationes. Horum omnium a Deo Paracletus constitutus est praefectus et praeceptor et sanctificator. Eo opus habent non Elias solum et Jesaias, sed Michael etiam et Gabriel, omnia enim angelorum genera et exercitus omnes simul collecti nullam cum Spiritu sancto paritatem aequalitatemque sustinent.*) Jam quae inter homines veteris foederis temporibus operatus est Spiritus sanctus, audiamus. Spiritus, quem in septuaginta seniores Mosis temporibus descendisse legimus,**) idem est atque ille, qui descendit in apostolos. Eundem acceperunt patriarchae et judices. Hic de Christo in prophetis praedicavit, qua de causa Samuel „Videns“***) appellabatur, et David diserte: „Spiritus, inquit, Domini locutus est in me.“†) Atque si quis omnes prophetarum libros percurrerit, plurima de Spiritu sancto testimonia reperiet. Testantur de ea Jesaias et Ezechiel, Michaeas et Joël, Aggaeus et Sacharias. Idem sapientem effecit Danielis animam, ut seniorum judex esset adolescens. — Quid autem dicamus de Spiritus sancti operationibus in sanctis novi Testamenti? Hic Spiritus sanctus in sanctam virginem Mariam venit.††) Gabriel archangelus enim eorum, quae gerenda fuerunt, praeco tantum et nuntius fuit,

*) Cat. 17, 23.
**) Num. 11, 24 sqq.
***) ὁ ὁρῶν. 1 Sam. 9, 9.
†) 2 Sam. 23, 2.
††) Cat. 17, 6.

non operationis socius. Eodem Spiritu repleta Elisabeth, eodem repletus est Sacharias Joannis pater, eodem Joannes ex utero matris repletus. Hic Spiritus sanctus descendit de coelis, quum Dominus baptizaretur. Oportebat enim, ut nonnulli interpretati sunt, primitias et prima Spiritus sancti, qui baptizatis tribuitur, dona cum humana Salvatoris natura, qui ejusmodi gratiam confert, communicari. Promisit Dominus apostolis Spiritum sanctum; ascendit in coelos et promissum implevit. Etenim istic in Hierusalem, in superiore Apostolorum ecclesia Paracletus die Pentecostes in ignitarum linguarum specie super apostolos delapsus est.*) De loco haec addit Cyrillus: „Maxime conveniens erat, ut, quemadmodum ea, quae Christum et Golgathae locum respiciunt, in hoc Golgatha dicimus, sic et de Spiritu sancto in superiore diceremus ecclesia. Verum quoniam qui illic descendit, ejus, qui istic crucifixus est, gloriae consors est, idcirco in hoc loco verba facimus de eo, qui illic descendit.“ Superior illa apostolorum ecclesia omnium Hierosolymitanarum antiquissima procul dubio est. Hanc enim Adrianus jam imperator invenit, ut supra §. 2. p. 14. monui. Sita fuit illa ecclesia extra urbis muros in monte Sion eo loco, quo Arabes Davidis prophetae sepulcrum esse contendunt. Hic sacram coenam instituisse fertur Dominus, hic et Stephanus protomartyr diaconus ordinatus esse narratur. Hic, ut supra dixi, apostoli Spiritum sanctum acceperunt, hic et mortua est virgo Maria.**) Huic apostolorum ecclesiae hodie proxime adest novum Protestantium coemeterium, nec longe abest notissimum illud Hakeldama, maximo sepulcrorum numero insigne, inscriptione: „Τῆς ἁγίας Σιών“ notatorum. Hac inscriptione indicari, sepulcra illa ecclesiae in Sione propria fuisse, recte monuit Krafft l. l.

---

*) Cat. 16, 4.
**) Krafft, Topographie Jerusalems p. 191 sqq. 208.

Spiritus sanctus tanta apostolos gratia implevit, ut signa et prodigia quam plurima facta sint per manus apostolorum. Neque vero in duodecim tantum apostolis efficax fuit Spiritus gratia, verum etiam in septem diaconis, atque post suam a Domino nostro vocationem in Saulo. Ac licet unus sit Spiritus sanctus et indivisibilis, multiplices tamen virtutes operatur, varia dona largitur. Propter varias has operationes diversis nominibus Spiritus sanctus appellatur, sed unus idemque est, qui operatus est in apostolis, qui et in nobis operatur. Omnibus enim Dominus: „Nisi quis, inquit, generatus fuerit ex aqua et Spiritu, non ingredietur in regnum Dei.“ Quare et nobis de aqua illa vivente bibendum, quae salit in vitam aeternam. Aquae autem vocabulo Spiritus gratia nuncupatur. Quod enim per aquam in regno naturae et in corporibus fit, id Spiritus sanctus efficit in regno gratiae et in animabus. Etenim unus et idem imber toto in orbe descendit, qui in lilio candidus efficitur, in rosa ruber, in violis et hyacinthis purpureus atque in diversis rerum generibus diversus et varius. Et alius quidem existit in palma, alius in vite, alius in omnibus arboribus, cum sit unius modi nec alius a seipso existat. Non enim seipsum commutans imber, alius atque alius descendit, sed suscipientium se structurae accomodans, unicuique id, quod ei competit, efficit. Ad eundem modum et Spiritus sanctus, cum unus sit et unius modi et indivisibilis unicuique largitur gratiam, prout vult. Et quemadmodum lignum aridum aquam concipiens germina emittit, sic et anima peccatrix per poenitentiam Spiritus sancti dono dignata, justitiae racemos portat. Alterius lingua ad sapientiam utitur sanctus Spiritus, alterius mentem prophetia illustat. Huic fugandorum daemonum potestatem impertit, illi divinas scripturas interpretandi donum largitur. Alterius temperantiam corroborat, alium quae ad eleemosynam pertinent docet, alium jejunare et asceticam vitam agere docet, alium res corporis contemnere,

alium ad martyrium praeparat. Si quando, dicit Cyrillus,*) sedenti tibi de castitate aut virginitate succurrit cogitatio, Spiritus sancti doctrina est. Nonne saepe puella jam ad nuptiales thalamos constituta aufugit, illo de virginitate instruente? nonne persaepe homo in palatiis conspicuus opes et dignitatem conspuit a Spiritu sancto edoctus? nonne saepe juvenis pulcherrimam formam videns, oculos compressit et videre declinavit et inquinamentum effugit? Unde illud factum? rogas. Spiritus sanctus adolescentis mentem edocuit. Magnum igitur a Deo habemus auxiliatorem et propugnatorem. Quare ne formidemus daemones neque diabolum. Major est ille propugnator noster. Ne formidemus contumelias et cruciatus, ea enim de causa Paracletus ille vocatur, quia consolatur, hortatu erigit et sublevat infirmitatem nostram. Martyrium imminet, tormenta undique et ignis et gladii et bestia et praecipitium. Sed Spiritus sanctus suggerit dicens: „Non sunt dignae perpessiones hujus temporis ad gloriam, quae erga nos revelanda est.“ Depingit nobis regnum coelorum, demonstrat et deliciarum paradisum. Ac martyres, corporeo quidem vultu judicibus praesentes, virtute tamen et potentia in paradiso jam versantes, dura illa, quae videntur, conspuebant.

Haec fere de Spiritus sancti operationibus ante oculos posuit auditoribus Noster, in concludendo brevem symboli formulam subjiciens, quae ita se habet: credendum esse „in unum Deum patrem omnipotentem; et in Dominum nostrum Jesum Christum, filium ejus unigenitum; et in Spiritum sanctum, Paracletum.“ **) Ex iis, quae hucusque proposuimus, Cyrillum doctrinam de sacrosancta Trinitate novisse et exposuisse elucet. Unam enim tribus Deitatis personis divinitatem facit communem,

---

*) Cat. 16, 19.
**) Cat. 17, 34.

Cat. VI, 6. dicens: „Paternae divinitatis cum Spiritu sancto particeps est unigenitus Filius.“ Catechesi quoque IV, 16. de Spiritu sancto ait: „Qui cum Patre et Filio divinitatis gloria condecoratur.“ Multi loci praeter eos, quos supra laudavimus, afferri possunt, qui in scriptura sacra optime fundatam esse Cyrilli de Trinitate doctrinam demonstrant. Hoc autem tenendum mihi videtur, non eo, quo alii ecclesiae doctores, acumine ingenii de hoc religionis nostrae mysterio Cyrillum disputasse, quum in iis fere acquiescerit, quae scriptura proponit, neque ea curiose scrutatus sit, quae scripta non sunt. Utinam nos omnes in catechumenis instruendis hoc Cyrilli exemplum sequamur, eadem qua ille fide scripturae doctrinam explicantes, atque puerorum animos iis non imbuentes, quae in scholis philosophorum potius tractanda sunt quam in fidelium congregationibus.

## §. 16. De verbo divino.

Doctrina de spiritu sancto jam absoluta, ad doctrinam de mediis gratiae accedendum est. Itaque primo loco de verbo divino disputemus, hunc in dicendo ordinem secuturi, ut primum de inspiratione, deinde de usu, tum de canone Scripturae sacrae, quid senserit Noster, examinemus.

Divinitus inspiratas esse et veteris et novi Testamenti scripturas, docet Cat. IV, 33. Unus enim est utriusque Testamenti Deus, qui Christum in novo conspicuum factum, praenuntiavit in veteri, qui per legem et prophetas nos ad Christum paedagogi more perduxit. Inspiratio autem Spiritui sancto inprimis adscribitur non solum in Symbolo, sed multis etiam Catecheseon locis. Cat. IV, 16: „Spiritus sanctus in lege et prophetis, in veteri et novo Testamento locutus est.“ De divina Domini nostri natura disserens Cat. XI, solum Spiritum

vicesimus secundus. Ii, qui nomine librorum apocryphorum veteris Testamenti apud nos circumferuntur, in Cyrilli catalogo non inveniuntur, unde morem ecclesiae orientalis Nostrum secutum esse apparet hos libros rejicientis. Quum autem in multis septuaginta interpretum codicibus nonnulli libri, quos nos pro apocryphis habemus, inter canonicos essent recepti, non plane eundem quem nos canonem habet Cyrillus. Ille enim inter canonicos enumerat librum Baruchi et epistolam Jeremiae, ex quo concludimus, hos libros illum in suis codicibus legisse. Neque dubitandum, quin canticum trium puerorum, atque historiam de Susanna in Danielis libro repererit, quippe qui Susannae historiam laudaverit Cat. XVI, 31. et puerorum in flammis canticum Cat. II, 16. Adeoque narratiunculam illam de Habacuco, qui ab angelo per comam capitis sui portatus atque translatus est, Cyrillus repetit de Domini ascensione disserens Cat. XIV, 25. Ad ceteros libros apocryphos quod attinet, invenio sententiam libri Sapientiae Salomonis nomine laudatam Cat. IX, 2, ubi haec exstant: „Ex operibus divinis possumus potestatis Dei cogitationem assequi juxta Salomonem, qui ait: „Nam ex magnitudine et pulchritudine creaturarum proportione servata procreator earum conspicitur," quae verba in libro apocrypho Sapientiae leguntur cap. XIII, 5. Quae quum ita sint, Cyrillus neque a romano-catholicis ad apocryphorum librorum auctoritatem tuendam jure potest advocari, neque a nobis ad fulciendam nostram de libris illis sententiam.

Novi Testamenti librorum hunc habet catalogum: Quatuor dumtaxat sunt evangelia, nam caetera falso inscripta sunt et noxia. Nemo legat evangelium secundum Thomam, neque enim est unius e duodecim apostolis, sed unius de tribus pravis Manis discipulis. *) Evangelicae appellationis nomine ornatum,

*) Cat. 6, 31.

simpliciorum animas corrumpit. Suscipe et duodecim apostolorum acta, et insuper septem catholicas epistolas, Jacobi et Petri, Joannis et Judae; deinde, quod omnibus est pro signaculo (ἐπισφράγισμα τῶν πάντων) et postremum discipulorum opus, Pauli quatuordecim epistolas, quibus epistolam ad Hebraeos adnumeratam esse, ex numero XIV videmus.*) „Reliqua omnia extra in secundo ordine habeantur**), et quaecumque in ecclesia non leguntur, illa neque privatim legas.“***) Itaque Apocalypseos librum expresse tanquam apocryphum rejicere videtur. Etenim plane ignota non fuisse potuit Cyrillo Apocalypsis, quamquam enim multum erravit Touttaeus haud exiguum locorum numerum ex Apocalypsi in Catechesibus afferri affirmans, hoc tamen mihi persuasum habeo, nonnunquam ad hujus libri sententias Nostrum alludere, ut Cat. XV, 27., quo loco de haeresi quadam loquens: „draconis haec est alterum caput, quod novissime circa Galatiam succrevit“, aperte respicit Apocal. XII, 3.

## §. 17. De sacro baptismo.

Catechesi tertia de baptismi sacramento jam disseruerat Cyrillus, fusius autem et ritus baptismatis et lavacri vim et efficaciam explicat in iis, quae mystagogicarum nomine circumferuntur Catechesibus. De quibus haec fere habeo, quae praevia moneam. Quinque catecheticae Cyrilli exstant orationes, quae diversum ordinem et classem a praecedentibus constituunt, my-

---

*) cf. Cat. myst. 5, 15, quo loco verba Hebr. 3, 13. Paulo adscribuntur.

**) Τὰ δὲ λοιπὰ πάντα ἔξω κείσθω ἐν δευτέρῳ.

***) Cat. 4, 36.

stagogicarumque nomine inscribuntur. Quum enim in prioribus octodecim orationibus symbolum exposuisset atque baptizandos christianae doctrinae praeceptis imbuisset, in his baptizatos de sacramentis sive mysteriis ecclesiae erudit. Ut enim illuminandis non licuit ea, quae in prioribus catechesibus audierunt, iis patefacere, qui in illuminandorum numerum nondum erant recepti,*) ita nondum baptizatis mysteria illa revelare vetitum erat. Mystagogicae vocantur hae Catecheses sive mystagogiae simpliciter, quasi mysteriorum sanctissimorum explanatrices. Habitas eas esse post peractum baptismum diebus paschalibus ipse Cyrillus disertis verbis dicit.**)

Catecheses priores Cyrillum habere auctorem inter omnes constat; de mystagogicarum auctore dubitarunt nonnulli viri docti, adeoque suppositas eas esse Cyrilli nomini contenderunt. Qui, quantum equidem video, omnes e nostrorum numero quum sint, haud scio an rationibus quas dogmaticas dicimus seducti, incautius judicaverint. Negari enim nequit, de multis cum ceremoniis tum doctrinis in mystagogiis Cyrillum locutum esse' quas nos tanquam erroneas ecclesiae romano-catholicae opiniones rejicere inde a pueritia consuevimus. Ac multis qui-

---

*) Procat. c. 12. Quando catechesis pronuntiabitur, si catechumenus percunctatus te fuerit, quid dixerint doctores, nihil dicas externo. Mysterium enim tibi et spem futuri seculi tradimus. Secretum serva ei, qui mercedem rependit. .... Cave ne quid temere efferas, non quod ea, quae dicuntur, non sint digna narratu, sed quod illae sint aures indignae, quibus committantur. Fuisti tute aliquando catechumenus, neque res propositas enarrabam tibi. Quando sublimitatem eorum, quae docentur, experientia cognoveris, tunc plane intelliges, earum rerum auditu dignos haud esse catechumenos." Eadem fere repetit, Cat. 5, 12. et 6, 29.

**) Cat. 18, 33. „Post sanctum Paschatis diem ab secunda sabbatorum die inchoando, singulis consequentibus hebdomadis diebus, statim post synaxin in sanctum Resurrectionis locum ingredientes, alias, Deo volente, catecheses audietis, in quibus singularum, quae peractae fuerint rerum rationes et causas erudiemini."

dem nostrae ecclesiae theologis inde a reformationis diebus placuit demonstrare, omnes illos quos dicimus errores prioribus ecclesiae saeculis nondum invaluisse, sed non nisi recentioribus temporibus esse excogitatos. Non Scripturam solum sacram, sed patrum etiam testimonia ad refutandam adversariorum doctrinam suamque fulciendam illi attulerunt, in quibus quum permulta invenirentur, quae romano-catholicam potius quam protestanticam olerent doctrinam, facile fieri potuit, ut hujusmodi scripta quasi spuria ab iisdem rejicerentur. Hac de causa de mystagogiarum quoque nostrarum integritate dubitatum esse mihi videtur. Sed facile mihi concedent quicunque unum id, quod verum est, sectantur, minime decere antiquitatis testimonia ea de causa rejicere, quod repugnent nostris opinionibus. Etenim fides nostra non e patrum, sed e Scripturae sacrae testimoniis proficiscitur. Si non Cyrillus solum sed omnes patres inde ab Ignatio et Polycarpo transsubstantiationem docerent, hoc nihil refert. Equidem enim persuasum mihi habeo, Scripturam sacram transsubstantiationem non docere, indeque ego eam rejiciendam censeo, nil omnino curans patrum opiniones. Haud optime profecto nostrae consulimus saluti, praeter Scripturam sacram alia fidei nostrae fundamenta quaerentes. Cui Scriptura non sufficit, is cum Puseyitarum anglicorum et germanicorum caterva Romam migret! Numerosos eosque illustres is socios habebit in itinere. Itaque operae pretium mihi non esse videtur, pluribus de authentia mystagogiarum disputare, quum facillime intelligatur, auctorem priorum catecheseon mystagogicas etiam scripsisse. Idem genus dicendi, eadem explicandi et demonstrandi ratio, idem in omnibus elucet ingenium. Quare his missis, quid de sacro baptismo docuerit Cyrillus, quaeramus.

Ac primum quidem de ceremoniis baptismi dicendum est, ut postea, quid de Sacramenti vi et effectu senserit Noster,

proponamus. Ab exorcismis inchoati videntur conventus catechetici, quod constat e Procatecheseos capite nono. Neque vero affirmaverim, toties exorcismos esse repetitos, quoties oratio catechetica est habita, quamquam multos et frequentes exorcismos adhibitos esse, ex Procatechesi jam laudata satis colligi potest. Quum enim longa esset exorcismi ceremonia (singuli nimirum unus post alterum ad exorcizantium manus succedebant), praecipit Cyrillus*), ut separatis virorum et mulierum subselliis, quamdiu alii exorcizantur, caeteri sedentes pium quemdam librum in manibus habeant, vel alius alio audiente legat, aut si desit liber, alius oret, alius utile quid loquatur; virginum vero conventus vel legat vel psallat, sed tacite ita ut labia quidem loquantur, vox autem ad alienas aures non perveniat. Et nupta quoque similiter agat, ut prodeat Samuel,**) ut sterilis anima tua pariat exaudientis Dei salutem. Hoc enim Samuel significat.

Exorcizandis velo obductus fuit vultus, ne oculus vagus ipsum quoque cor vagari pateretur, ne impedirentur aures, quominus salutis adjumentum susciperent. Quibus formulis exorcizantes fuerint usi, haud constat e Cyrillo, qui in universum tantum de exsufflationibus, insufflationibus et precationibus loquitur. Divinos esse exorcismos existimat atque e Scripturis collectos, maximamque habet eorum vim et efficaciam, haec fere scribens: Ut aurum absque igne ab alienis sibi commixtis expurgari nequit, ita anima sine exorcismis non potest purgari. Quemadmodum enim aurifices subtilibus quibusdam organis spiritum igni immittentes et in vase reconditum aurum conflantes, dum appositam flammam incitant quaesito potiuntur: ita dum exorcizantes per Spiritum divinum injiciunt timorem animamque in

*) Procat. 14.
**) 1 Sam. 1, 13.

corpore velut in vase positam exsuscitant, fugit inimicus daemon, manet autem salus, manet spes vitae aeternae; denique anima repurgata a peccatis salutem consequitur.*) Idem Cat. XVI, 19. repetit, exorcizantis insufflatione tanquam igne daemonem uri dicens. Haec de primo exorcismorum genere. De altero, quod ante immersionem adhibebatur, infra nobis erit disputandum.

Tempus baptismi sanctum Paschatis diem fuisse, e Cat. XVIII, 32. colligitur, et quidem vesperam hujus diei, ut elucet e Cat. myst. I, 1. Baptisterium cum Resurrectionis templo conjunctum fuisse scimus. Baptizandi primum in aedem quandam ingressi sunt, quae baptisterio pro atrio fuit, atque occidentem versus stantes jussi sunt manum extendere et Satanae abrenuntiare. Quare de abrenuntiatione jam disseramus. Cur stando ad occidentem abrenuntiatio fiat, hoc modo explicat Noster: Quoniam sensibilium tenebrarum locus est occidens, diabolus vero in tenebris imperium habet, cum ipse sit tenebrae: idcirco ad occasum respicientes tenebroso illo principi abrenunciastis. Ipsa abrenuntiationis formula haec fuit: „Abrenuntio tibi, Satana, et omnibus operibus tuis et omni pompae tuae et omni cultui tuo.“ Opera Satanae omnia peccata sunt. Omne peccati genus in actionibus et cogitationibus diaboli operibus accensetur. Pompa vero diaboli theatri insania est, equorum cursus in hippodromis, venationes in circo et reliqua hujusmodi vanitas. Ne igitur haec tibi studio sint. Tum vero et illa, quae impurissimorum daemonum invocatione in idolorum solennitatibus contaminata sunt, sive carnes sive panes, vel alia ejusdem modi, diaboli pompae adjunguntur. Ut enim panis et vinum in eucharistia per invocationem corpus et sanguis Christi fiunt, ita et hujusmodi esculenta ad pompam Satanae pertinentia,

*) Procat. l. l.

quum e natura sua nuda et communia sint, invocatione daemonum profana et contaminata reddmtur. Tertium: cultus diaboli est supplicatio in idolorum templis, vel alia hujus generis, augurium, divinatio, ominationes, amuleta, aut in laminis inscriptiones, magiae, malae artes aliaque illis similia. Haec igitur fuge. Attende tibi ipsi, neque iterum retro convertaris; Satanae enim renuntians omne prorsus cum illo pactum, vetera cum inferno foedera dissolvisti.

Quo facto, jam paradisus tibi apertus, quem ad orientem Deus plantavit. Hujus rei symbolum est, quod ab occidente ad orientem, ubi est lucis regio, nunc se convertunt baptizandi. Tunc fidem professi sunt dicentes: „Credo in Patrem et in Filium et in Spiritum sanctum et in unum baptisma poenitentiae.“ Brevissimam hanc fidei professionem Cat. mystag. I, c. 8. significare videtur Cyrillus, de „aggregatione ad Christum“ loquens. „Si enim, inquit, cultui diabolico iterum succubueris post abrenuntiationem Satanae et aggregationem ad Christum,*) crudeliorem experieris tyrannum.“ Haec igitur quasi praevia fidei professio pactum cum Christo initum significasse videtur.

Quae quum finita essent, in baptisterium ex atrio ingressi sunt. Vestes exteriores et calcei jam ante abrenuntiationem depositi esse videntur. Nunc tunicam quoque (τὸν χιτῶνα) exuerunt. Quoniam enim in membris irregenitorum adversariae stabulabant potestates, vetus homo exspoliandus erat, qui corrumpitur in desideriis erroris,**) atque haec veteris hominis exspoliatio depositione vestium declarata esse videtur.***) Aliam insuper hujus rei significationem indicans Noster: „Nudi fuistis, inquit, in hoc quoque nudatum in cruce Christum imitantes.

---

*) μετὰ τὴν ἀπόταξιν τοῦ Σατανᾶ καὶ τὴν πρὸς Χριστὸν σύνταξιν.
**) Ephes. 4, 22.
***) Cat. mystag. 2, 2.

Nudi fuistis coram omnium oculis nec pudore tangebamini. Revera enim primi parentis Adami imaginem ferebatis, qui in paradiso nudus erat nec verecundabatur."

Jam denudatorum corpus a summis verticis capillis usque ad infima oleo exorcizato unctum est. Haec unctio alterum illud exorcizationis genus est, quod supra jam commemoravi. Significationem enim hujus unctionis ita explicat Noster: Per eam participes facti estis sincerae oleae Jesu Christi. Exorcizatum oleum symbolum fuit communicationis pinguedinis Christi, quod quidem omne adversariae potestatis vestigium extemplo fugat. Quemadmodum enim insufflationes sanctorum et invocatio nominis Dei flammae ad instar vehementissimae daemones urit et effugat: ita exorcizatum illud oleum per invocationem Dei et orationem tantam vim assumit, ut non modo urendo peccatorum vestigia depurget, verum etiam omnes invisibiles diaboli potestates in fugam agat.

Tum ad baptismatis piscinam deducti sunt baptizandi et unusquisque interrogatus est, utrum crederet in nomen Patris et Filii et Spiritus sancti? Omnes salutarem fidem confessi sunt. Haec fidei interrogatio explorationis sive examinis locum sustinuisse videtur, alias enim non interrogati essent baptizandi, sed profiteri jussi. Utrum ea quam in Catechesibus exposuerat symboli formula hic usus fuerit minister an breviore quadam; utrum una tantum quaestio proposita fuerit an plures, hoc e Cyrilli verbis cerni nequit. Forsitan nihil interrogatum est nisi hoc: „Credisne in nomen Patris et Filii et Spiritus sancti?" neque aliud quid respondendum est nisi: „Credo." Post confessionem ter in aquam immersi sunt, rursumque emerserunt.

Haec fere de baptismatis caeremoniis retulit Cyrillus. Quid de Sacramenti efficacia senserit, jam audiamus.

Ad salutem consequendam prorsus necessarium esse baptisma, dicit Cat. III, 10. „Si quis baptisma non recipiat, sa-

lutem non habet, solis martyribus exceptis, qui etiam sine aqua regnum accipiunt." Quare qui bonis operibus instructus aquae baptisma non suscipit, regnum coelorum ingredi non potest, cujus rei demonstrationem ex Scriptura sacra affert, Cornelium laudans, qui baptizandus fuit ex Petri sententia, quamquam Spiritus sancti gratiam antea jam acceperat. Aqua enim ex quatuor mundi elementis maximum pulcherrimumque est. Principium mundi est aqua, principium evangeliorum Jordanus. Atque in baptismo non nuda et simplex aqua est, sed aqua „Christifera, suavem spirans odorem." *) Quo fit, ut tu qui descendisti mortuus in peccatis, ascendas vivificatus in justitia. Etenim proprius et praecipuus baptismi effectus est remissio peccatorum, ita quidem ut omnes peccatorum cicatrices et notas in corpore aboleat, omnemque apud Deum delictorum memoriam abstergat. Immo si quis blasphemis verbis Christum crucifixit, si quis eum denegavit, si quis per malefacta sua effecit, ut doctrina christiana male audiret, bonae sit spei; accedentibus enim illis ter mille, qui Dominum crucifixerant, Petrus: „Poenitentiam agite, inquit, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum."

Hanc peccatorum remissionem et adoptionem in filiorum Dei numerum consequimur, quia per baptismum cum Christo consepulti sumus in mortem, ita ut resurrectionis quoque participes futuri simus. Sicut enim Salvator noster tres dies et tres noctes in ventre terrae degit, sic et baptizati per immersionem mortui et sepulti, per emersionem autem iterum nati sunt. Non vere mortui sumus, nec vere sepulti, nec vere crucifixi resurreximus; sed earum rerum per imaginem imitatio expressa est, at vera hinc salus parta est. Christus enim vere crucifixus et sepultus est et vere surrexit. Et haec omnia nobis impertita

*) Procat. 15.

sunt, ut per imitationem passionis ejus participes facti, in veritate salutem lucremur. „Nemo igitur existimet baptisma remissionem peccatorum tantum et adoptionem et Spiritus sancti donum conferre, quum noverimus illud Christi passionum antitypum esse atque harum passionum participationem complecti.“ *) Haec, quae modo laudavi, verba oratoris potius esse quam sapientis praeceptoris elucet, quum ex ipsa Cyrilli sententia remissio peccatorum et communio passionum Domini non diversum quid sit, sed quum omnia quae conferat bona baptismus, eo tantum conferre possit, quod insititios Christo nos faciat. Ut autem hoc loco non caute et circumspecte Cyrillus locutus esse videtur, ita haud raro verba occurrunt magicum quendam effectum baptismo tribuentia, quasi ex opere operato per immersionem homo regeneraretur. Neque vero hujusmodi sententia Cyrillo jure potest imputari, quum gravissime moneat Cat. XVII, 35. 36. ne quis sine fide ad lavacrum accedat. Si fide simulata accedis, inquit, nunc quidem homines te baptizabunt, at Spiritus te non baptizabit. Cave ne Simonis exemplo ad baptismi ministros simulatus accedas, cor autem tuum veritatem non requirat. Ad magnum examen, magnae in militiae delectum unius horae articulo venis; quam horam si tibi perire pateris, inemendabile tibi malum. Sin vero gratia dignatus fueris, dabit tibi Spiritus sanctus coeleste quoddam et divinum, quod daemones contremiscunt, signaculum; anima tua illustrabitur; vim, quam non habebas, accipies. Si credideris, non solum remissionem peccatorum accipies, sed etiam humanis viribus superiora efficies.

Restat, ut de ea, quae baptisma excipiebat, unctione disputemus. Etenim statim postquam ex aqua escenderant, chrisma baptizatis datum est. In fronte, in auribus, ad nares et in

*) Cat. myst 2, 6.

pectore sacro chrismate peruncti sunt. De qua unctione Cyrillus loquitur Cat. mystag. III. haec fere proponens: Christus post baptismum in Jordano flumine Spiritu sancto, qui in eum visibilis descendit, perunctus est. Christiani ut in omnibus Christo similes fiant, post baptismum unguntur chrismate, quod antitypum Spiritus sancti est. Etenim sicut panis eucharistiae post invocationem corpus Christi est: ita et sanctum illud unguentum non amplius nudum et commune unguentum est post invocationem, sed per praesentiam divinitatis Christi efficax charisma Christi et Spiritus sancti factum est. Quare, dum unguento visibili inungitur corpus, sancto et vivifico Spiritu anima sanctificatur. Hoc sancto chrismate digni habiti vocantur Christi*) sive Christiani, veritatem hujus nominis per regenerationem assequentes. Prius enim quam haec nobis gratia collata esset, eo nomine proprie digni non eramus, sed eo contendebamus, ut essemus Christiani.

Ac multum inter viros doctos disputatum est, haec unctio utrum ritus tantum sit ad baptisma pertinens, qualis erat unctio ex oleo exorcizato ante baptisma, an potius diversum omnino a baptismate sacramentum. Priorem opinionem ex nostris plurimi tueri conati sunt, alteram romano-catholici theologi tenuerunt. Itaque paucis exponam, quae fere mea sit sententia. Catholicorum sacramentum confirmationis idem fere esse, quod non in Hierosolymitana solum sed in omnibus fere ecclesiis inde a saeculo quarto chrismatio illa fuit, negari nequit. Qua de causa concedendum est, antiquitatis testimoniis Catholicorum potius quam Protestantium sententiam videri probatam. Sed ex altera parte id quoque mihi tenendum videtur, nusquam Cyrillum quid sit sacramentum definiisse, nusquam duo vel tria vel plura dari sacramenta dixisse:

---

*) Cat. myst. 3, 1. 5.

quare quaestio illa de chrismatis unctione exacte dijudicari nequit. Ut igitur hoc libenter nostris theologis largior, nusquam disertis verbis Cyrillum dixisse, proprium sacramentum esse unctionem, ita Catholicis concedendum puto: Si Cyrillus hodie adesset atque videret Catholicos, qui duo habent sacramenta, baptismum, quem iisdem fere ceremoniis conficiunt, quibus ille Hierosolymis usus est, atque confirmationem, ritui illi unctionis simillimam; itemque Protestantes, qui unum tantum ex duobus illis retinuerunt sacramentum, unctionem autem prorsus rejecerunt; tum si quaereretur, quorum e parte stare mallet, sine dubio responderet: Equidem non possum quin Catholicorum partes sequar.

## §. 19. De missa et de sacra coena.

Catechesis mystagogica quinta missam fidelium copiose nobis describit. Quam quum eucharistiae celebrationem fuisse constet, primum hanc celebrationem describere placet, ut postea et de eucharistia ipsa et de liturgia disputemus. Missa fidelium ita incepit, ut diaconus sacerdoti sive episcopo et presbyteris altare circumstantibus aquam abluendis manibus porrigeret, quod mysterium beatus David nobis aperuit: „Lavabo, inquit, inter innocentes manus meas et circumdabo altare tuum, Domine.“*) Deinde clamat diaconus: „Ἀλλήλους ἀπολάβετε καὶ ἀλλήλους ἀσπαζώμεθα.“ Hoc osculum reconciliationis signum erat, secundum verbum illud Domini nostri Matth. 5, 23. 24. Jam praefatio sequitur, episcopo clamante: Ἄνω τὰς καρδίας, cui populus respondit: Ἔχομεν πρὸς τὸν Κύριον. Post haec sacerdos ait: Εὐχαριστήσωμεν τῷ Κυρίῳ, ad quae laici subjiciunt: Ἄξιον καὶ δίκαιον. Deinde oratio eucharistica recitatur,

*) Psalm. 26, 6.

in qua nominantur coeli et terra et mare, sol et luna, astra et tota creatura tam ratione praedita quam carens, visibilis et invisibilis, Angeli, Archangeli, Virtutes, Dominationes, Principatus, Potestates, Throni et Cherubim, quasi iis dicatur: „Magnificate Dominum mecum.“ *) Postremo Seraphim nominantur, atque hymmus seraphicus: „Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth“ ab omnibus, qui adsunt cantatur, „ut communi laudum modulatione cum coelestibus exercitibus conjungamur.“ **)

Hanc gratiarum actionem invocatio excipit, qua Deus exoratur, ut emittat sanctum Spiritum super dona proposita, panem nimirum et vinum, „ut faciat panem quidem corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi. Omnino enim quodcumque attigerit Spiritus sanctus, id sanctificatum et transmutatum est.“ Elementorum igitur consecratio non tam per recitationem verborum institutionis sacrae coenae facta esse videtur, quam per hanc invocationem. Nusquam enim Cyrillus verba illa Domini nostri recitata esse prodit.

Postquam hoc modo perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus, sacerdos super illud sacrificium propitiationis ***) obsecravit Deum pro communi ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, pro militibus et sociis, pro infirmis et afflictis, in universum pro omnibus, qui opis indigent, pro quibus haec victima oblata est. Postea eorum recordati sunt fideles, qui obdormierunt, primum patriarcharum, prophetarum, apostolorum et martyrum, ut Deus eorum precibus et legationibus hanc orationem benigne suscipiat. Deinde et pro defunctis sanctis patribus et episcopis et omnibus generatim, qui in ecclesia vita functi sunt, oraverunt, „maximum hoc

---

*) Psalm. 34, 4.
**) Cat. myst. 5, 6.
***) ἐπὶ τῆς θυσίας ἐκείνης τοῦ ἱλασμοῦ.

credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima. Christum enim mactatum offerimus pro peccatis nostris, propitiantes pro illis et pro nobis Deum clementem." *)

Post haec oratio dominica recitatur, quam breviter explicat Cyrillus c. 11—18. Pauca ex hac explicatione afferre juvat. Primam exponens precationem: „Natura quidem, inquit, sanctum est nomen Dei, oramus autem, ut apud nos sanctificetur nomen Dei." Videmus eam, quam in catechesimo minori Lutherus attulit, explicationem nullo modo novam et ab hoc ipso excogitatam esse. Panem in precatione quarta non de communi pane intelligit, sed de sancto eucharistiae pane. Ille enim non substantialis (ἐπιούσιος) est, hic autem ad substantiam animae directus est (ἐπὶ τὴν οὐσίαν τῆς ψυχῆς κατευθυνόμενος), atque hac de causa substantialis sive ἐπιούσιος vocatur. Expleta oratione populus dicit Amen.

His peractis dicit sacerdos: Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, cui populus respondet: Εἷς ἅγιος, εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστός. Deinde a cantoribus e Psalmo 34. cantatur: „Gustate et videte, quod bonus est Dominus." Observat hoc loco Cyrillus: „Ne corporeis faucibus hujus rei judicium permittite, non, inquam; sed fidei omnis dubitationis experti. Qui enim gustant, non panem et vinum degustare jubentur, sed antitypum corporis et sanguinis Christi." **) De communione ipsa haec dicit: „Accede, manum sinistram velut thronum subjiciens dexterae, utpote regem susceptura, et concava manu suscipe corpus Christi, respondens: Amen.

---

*) l. l. c. 10. Χριστὸν ἐσφαγιασμένον, ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων προσφέρομεν, ἐξιλεούμενοι ὑπὲρ αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν τὸν φιλάνθρωπον θεόν.

**) l. l. c. 20. οὐχ ἄρτου καὶ οἴνου κελεύονται γεύσασθαι ἀλλὰ ἀντιτύπου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, quae verba verti possunt aut: „antitypum corporis et sanguinis" aut: „antitypum corpus et sanguinem."

Postquam vero oculos tuos sancti corporis contactu sanctificaveris, illud percipe, advigilans ne quid ex eo tibi depereat. Tum, postquam corporis Christi particeps factus es, accede et ad sanguinis poculum, non extendens manus, sed pronus et venerationis in modum, dicens „Amen", ut sanctificeris ex sanguine Christi quoque sumens. Et quum adhuc labiis tuis adhaeret ex eo mador, manibus attingens et oculos et frontem et reliquos sensus sanctifica. Postremo exspectans orationem gratias age Deo, qui te tantis mysteriis impertire dignatus est." Concluditur igitur missa gratiarum actione.

Hactenus de ceremoniis in eucharistia observandis.

Jam doctrinam Cyrilli examinemus, primum quid de praesentia corporis et sanguinis Christi, deinde quid de sacrificio eucharistico senserit Noster, quaerentes.

De prima quaestionis parte copiose disseruit Cyrillus in Catechesi mystagogica quarta, cui addimus quod idem Catechesi sequenti dixit, ut postea de verborum sensu judicemus.

Finis sacrae coenae secundum Cyrillum intima communio fidelium cum Christo est, ita quidem ut per distributionem corporis et sanguinis Christi in membra nostra unum corpus unusque sanguis cum eo fiamus. *) Etenim in figura panis et vini (ἐν τύπῳ ἄρτου καὶ οἴνου) datur nobis corpus et sanguis Christi, secundum Domini asseverationem. Quum enim ipse pronuntiaverit de pane: „Hoc corpus est meum", quis audebit deinceps ambigere? Et quum ipse dixerit: „Hic meus est sanguis", quis umquam dubitaverit dicens, non ejus esse sanguinem? Nuptias in Cana Galilaeae laudat Cyrillus: Aquam, inquit, olim in vinum transmutavit, et hunc indignum judicabimus, cui credamus, qui vinum in sanguinem transmutavit? **) Etenim ante

---

*) σύσσωμοι καὶ σύναιμοι τοῦ Χριστοῦ γεγόνατε. Cat. myst. 4, 1. 3.
**) οἶνον μεταβαλὼν εἰς αἷμα. Cat. myst. 4, 2.

invocationem panis et vinum nudus panis et vinum erat; invocatione autem peracta panis fit corpus Christi et vinum sanguis Christi.*) Quare cum omni fide tamquam corpus et sanguinem Christi sumamus illa (elementa panis et vini). Quamobrem ne tamquam nudis (elementis) pani et vino attende. Sunt enim corpus et sanguis Christi. Ne judices rem e gustu, sed ex fide citra ullam dubitationem certus esto, te corporis et sanguinis Christi dono dignum esse factum. Nam qui videtur panis, panis non est, tametsi gustu sensibilis est, sed corpus Christi; et quod videtur vinum, non vinum est, etiamsi gustui ita videatur, sed sanguis Christi. Superest, ut duo insuper Cyrilli verba afferamus, alterum, quod exstat Cat. myst. IV, 4., quo loco verba Domini respiciens: „Nisi manducaveritis meam carnem et biberitis meum sanguinem, non habetis vitam in vobis ipsis", dicit, Judaeos ea non spiritualiter accepisse,**) sed existimasse se ad manducandas carnes ab eo admoneri. Alterum in liturgia describenda jam attuli ex Cat. myst. V, 20., hic autem repetendum puto: Γευσάμενοι οὐκ ἄρτου καὶ οἴνου κελεύονται γεύσασθαι, ἀλλὰ ἀντιτύπου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ.

Quisnam omnium, quae laudavi, Cyrilli verborum sit sensus, haud difficile intelligi posse videtur. Etenim procul dubio realem et substantialem praesentiam corporis et sanguinis Christi in eucharistia docuit, ita quidem ut communicantes verum et reale corpus Christi in manibus tenerent atque ore manducarent. Haec Christi praesentia duplici modo cogitari potest, primum quidem ita ut panis et vinum remaneant, quae fuerint, sed cum utroque per invocationem et consecrationem mystico et incomprehensibili quodam modo uniatur corpus et sanguis

---

*) Cat. myst. 1, 7.

**) ἐκεῖνοι μὴ ἀκηκοότες πνευματικῶς τῶν λεγομένων.

Christi: deinde ita ut panis et vinum post invocationem non amplius sit panis et vinum, sed ut realiter et physice transmutata sint haec elementa in corpus et sanguinem Christi. Altera doctrina consubstantialitatem panis et corporis Christi, vini et sanguinis ejus tenet; altera transsubstantiationem panis in corpus, vini in sanguinem Christi defendit. Alteram nostris temporibus ecclesia lutherana, alteram catholica tuetur. Doctrinam de consubstantialitate haud ignotam fuisse patribus saeculi quarti constat, sed utrum omnia, quae Cyrillus protulit, per consubstantialitatem explicari possint, multus dubito. Immo iis, quae supra laudavi, plane et aperte transsubstantiationem doceri quis quaeso infitiari poterit? Nam si ego discipulis meis in catechesi dicerem: „Ut Christus in nuptiis Canae celebratis aquam in vinum transmutavit, ita in eucharistia vinum in sanguinem transmutat; quod vos in eucharistia editis et bibitis, gustum quidem panis et vini habet, nihilominus autem neque panis est neque vinum, sed corpus et sanguis Domini", quis quaeso dubitaret quin transsubstantiationem ego docerem? Quae quum ita sint, iis assentire nequeo, quae clarissimus Neander exposuit in hist. eccl. II, 3. pag. 1394 sqq. Rectius judicasse mihi videtur Touttaeus in dissertatione tertia de doctrina Cyrilli cap. IX—XI. p. CCIV—CCXXXIV. Nec obloquuntur verba, quae supra laudavi de intellectu spirituali,*) de typo panis et vini, in quo corpus et sanguis detur,**) atque de antitypo corporis et sanguinis, quod degustandum praebeatur.***) Nam quod ad primam attinet vocem, hoc sane ab unoquoque, qui transsubstantiationem credit, concedetur, aliam esse communis panis manducationem, aliam corporis Christi comestionem. Com-

*) Cat. myst. 4, 4.
**) l. l. cap. 3.
***) Cat. mystag. 5, 20.

munis enim panis in ventrem vadit et in secessum ejicitur, ille autem (panis sc. eucharisticus) in membra nostra distribuitur et in totam hominis compagem dividitur.*) Unde sequitur, panem, quem in eucharistia edimus, non communem esse panem, sed tanquam spiritualem sumendum.**)

Deinde, quod ad alteram et tertiam vocem attinet, sub „typo panis" nil aliud sane intelligi potest nisi species sive figura panis, atque „antitypum corporis" indicat, corpus Christi eucharisticum distinguendum esse a corpore in statu naturali viventis. Quare equidem mihi persuasum habeo, Cyrilli doctrinam de corporis et sanguinis Christi praesentia in eucharistia ad ecclesiae romanae placita proxime accedere.

Ad alteram quaestionis partem transeuntes, quid de sacrificio eucharistico docuerit Noster, videamus. Eucharistiam sacrificium esse Deo oblatum, inde ab apostolorum temporibus omnes, quantum ego scio, patres una voce testati sunt. Quam eucharistiae appellationem si quis permagni faciat, aliquo modo ei largiri possim, quodam sensu sacram coenam sacrificium forsitan appellari posse, quamquam equidem nullam hujus appellationis utilitatem intelligo, indeque propter ingentes abusus eandem maxime devitari velim. Si quis autem eucharistiam sacrificium appellare velit, tum utique distinguendum erit inter hostiam symbolicam et hostiam realem. Illa, hostia sc. symbolica, panis est et vinum, quae inter gratiarum actionem Deo offertur non quasi signum exhibitivum corporis et sanguinis Christi, sed quasi nuda elementa et symbola creaturae naturalis et visibilis. Haec autem, hostia sc. realis, fideles sunt eucharistiam celebrantes, qui ex grato animo seipsos Deo

---

*) Cat. myst. 5, 15. 4, 3.
**) Cat. myst. 4, 9.

offerunt. Itaque hoc sensu forsitan concedat quis, eucharistiam sensu quodam allegorico sacrificium appellari posse. At patres fere semper de pane et vino cum precationibus eucharisticis loquuntur quâsi de hostia non symbolica, sed reali. Hoc aperte falsum atque erroneum esse, quis quaeso infitiabitur? Quid, simulatque panem et vinum non symbola solum, sed vehicula corporis et sanguinis Christi esse creditum est; simulatque docere coeperunt patres, panem et vinum in corpus et sanguinem Christi transmutari: nonne necessario inde sequebatur, ut corpus et sanguis Christi pro reali in eucharistia hostia haberetur? Haud sane mirandum est, quod eucharistia non adhuc sacrificium pro gratiarum actione esse putabatur, sed sacrificium pro peccato, in quo corpus et sanguis Christi Deo quotidie offertur a sacerdote pro peccatis populi. Haec sane falsissima opinio perantiqua est, eamque Cyrillum quoque tenuisse demonstrabimus. Supra jam laudavimus locum illum valde memorabilem Catecheseos mystagogicae V, 8: „Postquam perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus, super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum.“ Aperte hoc loco Cyrillus de sacrificio pro peccato loquitur. Non minus perspicua sunt, quae habet cap. 9. 10., de orationibus pro defunctis loquens. Credit enim, maximum adjumentum fore illis animabus, pro quibus oratio offertur, dum sancta victima in altari jaceat. Cujus rei fidem ab exemplo se facturum esse promittit. „Si rex quispiam viros, a quibus offensus fuerit, relegarit in exilium, posteaque illi, ad quos attinent, coronam plectentes eam regi pro suis poena ab ipso afflictis obtulerint: nonne ipsis suppliciorum relaxationem gratificaturus sit? Ad eundem modum et nos pro defunctis, etiamsi peccàtores sint, preces Deo offerentes, non coronam plectimus, sed Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus, propitiantes pro illis et pro nobis clementissimum Deum.“

Haud necessarium mihi videtur, diutius in hac re commorari, quum ex iis, quae attuli locis satis superque demonstratum sit, Cyrillum docuisse sacrificium pro peccato in eucharistia a sacerdote Deo offerri, Christum cultu incruento denuo pro delictis mortuorum et vivorum in altari sacrificari. Itaque tota ecclesiae romanae doctrina tantum non totidem verbis apud Cyrillum invenitur.

Restat, ut de liturgia Cyrilli pauca quaedam addamus.

Liturgiam a Cyrillo descriptam ei simillimam esse, quae legitur in libro octavo Constitutionum apostolicarum c. 5—15. constat inter omnes. Nec minor reperitur similitudo inter Cyrilli liturgiam atque eam, quae sub Jacobi fratris Domini nomine circumfertur, quam Assemanni edidit in codice liturgico universae ecclesiae vol. X. lib. 4. p. 2., itemque Augusti in Archaeologia vol. VIII, p. 427. Antiquissimae quum sint hae liturgiae, dubitari nequit, quin inde ab initio saeculi quarti cultus divinus eodem fere modo celebratus sit, quo ad hunc usque diem in ecclesia romana celebratur. Quamvis enim in multis differat canon missae romanus ab illis, quas modo laudavi liturgiis, atque in omnibus locupletior sit: eadem tamen capita eundemque ordinem in utraque cultus celebrandi forma invenimus. Quum igitur per quindecim jam saecula una eademque liturgiae forma usa sit ecclesia, nec unquam plane novam excogitare formam quisquam valuerit: semper mihi visum est, iis, quibus vel nostrae ecclesiae salus liturgicis formulis niti videtur, ad eas redeundum esse formulas, quibus utitur ecclesia romana. Has enim non solum maxima vetustatis majestate ornatas, sed etiam suis numeris absolutas esse, quis quaeso negabit? Equidem certe persuasum habeo, liturgiam romanam multo perfectiorem esse quam omnes istas novellas Protestantium liturgias, in quibus excogitandis et conscribendis tam multos his temporibus oleum et operam perdere video. At ne

quis putet, me ipsum missae romanae patronum existere velle, hoc aperte prae me fero, minimi me aestimare omnes ritus et ceremonias. Neque enim hoc spectamus convenientes in ecclesiis nostris, ut has vel illas formulas decantantes pietatem nostram Deo et hominibus demonstremus, sed hoc ut aedificemur in Spiritu sancto. Si quem aedificat quam longissimam decantare liturgiam, decantet eam per totum diem. Si quem non aedificat hujusmodi cultus divinus — atque hoc equidem fateor, me nunquam in eo aedificationem invenisse — ne cogatur, hac vel illa formula uti. Egregie haec omnia doctissimus mihique amicissimus D. Schenkel exposuit in libro: „Der Unionsberuf des evangelischen Protestantismus", p. 157—187. quare plura insuper de hac re disputare supersedeam, verbis beati Lutheri concludens: „Haec de missa dicta sunt satis. Cetera usus et res ipsa docebunt. Nam, quod forte petent aliqui: haec omnia scripturis et exemplis patrum probari, non multum movemur, quod supra diximus: in his debere libertatem regnare, et neque legibus neque imperiis liceat conscientias captivare christianas. Unde et nihil de his rebus scripturae definiunt. Sed sinunt libertatem spiritus abundare suo sensu pro commoditate locorum, temporum et personarum."

## §. 19. De ecclesia et de vita ecclesiastica.

De ecclesia loquens Cyrillus eam semper intelligit, quam nos „visibilem ecclesiam" appellare consuevimus, nec unquam distinguit inter visibilem atque invisibilem. Hic autem error non unius Cyrilli est, sed omnium hujus periodi patrum communis, quibus catholica ecclesia haec visibilis ecclesia est.

Ecclesia Cyrillo congregatio est omnium renatorum,*) at-

*) Cat. 18, 26.

que quum per sacrum baptismatis lavacrum unusquisque regeneretur, congregatio omnium baptizatorum. Hanc ecclesiam Salvator ipse aedificavit ex gentibus, Petro dicens: „Super hanc petram aedificabo meam ecclesiam et portae inferni non praevalebunt adversus eam.“ Petrus enim supremus ecclesiae praeco est, princeps apostolorum, regni coelorum claviger.*) „Catholica“ vocatur ecclesia eo, quod per totum orbem ab extremis terrae finibus ad extremos usque fines diffusa est; deinde quia universe (καθολικῶς) et sine ullo defectu docet omnia, quae in hominum notitiam venire debent dogmata sive de visibilibus et invisibilibus, sive de coelestibus et terrestribus rebus; tum quia omne hominum genus recto cultui subjicit, principes et privatos, doctos et imperitos; denique quia generaliter (καθολικῶς) curat et sanat omne peccatorum genus, quae per animam et corpus perpetrantur, et quia possidet omne virtutum genus in factis et verbis et spiritualibus donis.**) Ecclesia igitur visibilis salutem distribuit, ecclesia remissionem peccatorum largitur, ecclesia veritatem docet. Catholica haec ecclesia „una sancta“ vocatur in symbolo, ut distinguatur ab „ecclesiis malignantium“,***) quae sunt coetus haereticorum. Abominanda eorum conventicula fugiens semper adhaereas sanctae catholicae ecclesiae. Quodsi quando peregrinatus fueris in urbibus, ne simpliciter requiras, ubi sint sacri conventus aedes (τὸ Κυριακόν), nam et impiorum sectae atque haereses suas ipsorum speluncas hoc nomine honestant. Neque simpliciter ubi sit ecclesia, sed ubi sit catholica ecclesia. Hoc enim proprium nomen est hujus sanctae et matris omnium nostrum, quae sponsa est Domini nostri Jesu Christi, unigeniti filii Dei.

---

*) Cat. 11, 3.; 17, 27.
**) Cat. 18, 23.
***) Psalm. 26, 5.

Valde memorabile est, quod Cyrillus dicit Cat. XVIII, 25: „Notatu dignum est, vocem ecclesiae tum primum in Scripturis usurpatam esse, quum Dominus Aaronem in summum sacerdotium constituit.“ Quibus verbis dicere videtur Noster, ecclesiam non esse posse sine sacerdotibus. Ceterum idem Noster, quamvis saepissime episcoporum, presbyterorum et diaconorum faciat mentionem, haud multum tamen de ordine sacerdotali ejusque in ecclesia auctoritate loquitur, id quod Catecheseon finis et argumentum satis declarat. Etenim quod contemtui non habuit Cyrillus ordinem clericalem, ex eo cernitur, quod maximis laudibus virginalem exornavit statum. Sacerdotibus expresse dicit a mulieribus esse abstinendum.*) Monachorum et virginum ordinem vitam in terris parem angelis instituere dicit.**) Magna inde iisdem reposita est corona. In angelicis libris propter puritatis propositum descripti sunt. Virginitatis dignitas cum angelis certat.***) Qui puritatem sectantur, angeli sunt in terra ambulantes. Virgines cum Maria virgine partem habent. De judicio extremo disputans, omnia quae quis fecerit, descripta esse apud Deum dicit. „Descriptum est omne jejunium, descriptum omne matrimonium caste observatum. Primas vero in Dei descriptionibus coronas habet virginitas et integritas, et tamquam angelus collucebis.“ †) Quum igitur matrimonium inferior vitae status habeatur, non tamen contemnatur castum matrimonium, secundum illud apostoli: „Honorabile est connubium et cubile impollutum.“ Nec unico matrimonio contenti eos reprobent, qui ad secundas nuptias propter infirmitatem accesserunt.

---

*) Cat. 12, 20.
**) Cat. 4, 24.
***) Cat. 6, 35
†) Cat. 15, 23.

Eadem fere animi libertate de jejuniis in ecclesia instituendis judicat Cyrillus. Jejunia tempore inprimis paschali usitata fuisse in ecclesia Hierosolymitana, elucet ex Cat. XVIII, c. 17, quae ipsa habita est sabbato sancto, quum proxime jam instaret baptismus. Multa loco supra laudato se adhuc habere dicenda profitetur Cyrillus, sed finem jam orationi imponere se velle propter laborem, quem Catechumeni sustinuerint tum ex vigilia, quae a die parasceues in sabbatum sanctum observabatur, tum ex jejunii parasceues superpositione, quo „superpositionis" sive ὑπερθέσεως vocabulo veteres significabant jejunium in duos vel plures dies absque cibo continuatum. Quid de jejuniis judicandum sit, praeclare exponit Noster Cat. IV, 27. „Sunt qui exercitationis causa abstineant, dannent autem manducantes, quia et manducandi et abstinendi causas ignorant. Etenim nos jejunamus vino et carnibus abstinentes, non ea quasi abominationes abhorrentes, sed exspectatione mercedis, ut, dum sensibilia ultro contemnimus, spirituali intelligibilique mensa perfruamur, utque nunc seminantes in lacrymis, in exaltatione metamus in saeculo venturo. Ne igitur aspernare eos, qui manducant, neque eos tamquam peccatores condemnes."

Jam quid de sanctis eorumque invocatione senserit Cyrillus, proferamus. Mariam matrem Domini omni veneratione dignam a nostro habitam esse, ex eo elucet, quod Deiparam eam appellat Cat. X, 19., aliisque laudibus eam exornat. Nunquam tamen de precibus ad eam dirigendis eum locutum esse invenio. De martyribus obiter tantum disserit, affirmans, ecclesiam in persecutionibus coronasse sanctos martyres variis patientiae coronis.*) Locus maxime memorabilis, quem supra jam laudavimus de liturgia Cyrilliana disputantes, huc quoque pertinet. In precatione eucharistica, ut Cyrillus tradit, recordati

*) Cat. 18, 27.

sunt fideles patriarcharum, prophetarum, apostolorum et martyrum, ut horum precibus et legationibus Deus viventium orationem suscipiat; quibus verbis intercessio sanctorum defunctorum pro vivis aperte docetur. Sanctorum defunctorum in corporibus reliquiisque vim quandam inesse distincte exponit, de Elisaeo propheta loquens. Is enim mortuos suscitavit et dum viveret et post mortem. „Vivus resurrectionem per suam ipsius animam operatus est, ut autem non animae solum justorum honorarentur, sed crederetur etiam in justorum corporibus vim quandam jacere, mortuus, prophetae mortuum corpus attingens, vitam concepit. Quod factum est, ut ostenderetur, absente etiam anima inesse vim quandam et potestatem corpori sanctorum propter animam justam, quae tot annos in eo inhabitaverit.“ *)

De crucis dominicae reliquiis quae supra pluribus jam exposui, repetere hic non attinet. Quare paucis tantum commemorabo, quae de signo crucis a fidelibus faciendo in Catechesibus leguntur. „Ne erubescamus, inquit Cyrillus, crucem Christi. Palam in fronte signo crucis te obsigna, ut daemones regium signum intuentes, procul fugiant tremebundi. Fac hoc signum, dum edis et bibis, sedes, recubas, exsurgis, loqueris, ambulas, verbo dicam, in omni negotio.“ **) Quando de cruce Christi contra infideles disputationem instituturus es, prius manu signum crucis emitte, et obmutescet qui contra nititur. ***)

---

*) Cat. 18, 16.
**) Cat. 4, 14.
***) Cat. 13, 22.

## §. 20. De novissimis.

De secundo Jesu Christi adventu quum supra §. 14. disputaverimus, hoc loco tantum de mortuorum resurrectione et de judicio extremo erit disserendum.

Magnam et perquam necessariam sanctae catholicae ecclesiae doctrinam esse dicit de resurrectione mortuorum, quae quamvis a multis oppugnetur, a veritate tamen plenissime comprobetur. Quare hoc primum aggreditur, ut contra Graecos et Samaritanos resurrectionem defendat. In disputatione contra Graecos non solum ad omnipotentiam et justitiam Dei provocat,*) sed ipsam etiam uniuscujusque hominis conscientiam affert. Ex eo enim, quod tumulorum violatores ab omnibus et ubique condemnantur, omnes resurrectionis spe quadam teneri concludit, ita ut, etiamsi labia negent, maneat tamen in animo indelebilis resurrectionis conscientia. Tum ad exempla e natura depromta procedit, arbores laudans, quae hieme velut mortuae stant, vere autem denuo virent, seminum omnimoda genera, quae mortua et putrefacta in herbas exsurgunt. Phoenicem avem affert, qui in nido ex thure, myrrha caeterisque aromatibus facto moritur et putrescit. Deinde ex mortuae avis carne vermis enascitur, qui in volucrem conformatur, atque perfectus Phoenix factus in aërem talis avolat, qualis fuerat demortuus, evidentissimam mortuorum resurrectionem hominibus ostentans. Postremum argumentum ex ipsa hominis generatione ducit; „qui rem vilissimam, inquit, ita formavit, corpus demortuum iterum excitare non valeat? Qui fecit, quod non erat, id quod est, postquam ceciderit, non excitaret?“

---

*) Cat. 18, 3. 4.

Jam ad Samaritanos transiens argumenta non e prophetis ab illis non admissis repetit, sed e Pentateucho, quem solum ille recipiebant. Notissimum illud: „Ego sum Deus Abraham et Isaac et Jacob“ *) commemorat, atque Samaritanos statuentes, animas quidem patriarcharum remanere, corpora autem resurgere non posse, ad virgam Aaronis et Loti uxorem rejicit, haec fere dicens: „Aaronis virga velut e mortuis resurrexit et ipse Aaron non resurget? Mulier praeter naturam sal efficitur et caro in salem transmutatur: caro vero in carnem non reparabitur?“ Tum, pluribus e psalmis et prophetis testimoniis allatis, de Lazaro loquitur, de juvene Nainitico, de filia Jairi, de mortuis ab Elia et Elisaeo prophetis resuscitatis, atque de iis, quos Petrus et Paulus apostoli in vitam revocarunt.

Resurrectionis veritate hoc modo demonstrata, ad modum resurrectionis explicandum pergit, ea auditoribus proponens, quae Paulus apostolus 1. Cor. 15. docuit. Hoc ipsum quidem corpus resurget, sed incorruptibilitate indutum transformabitur. Non amplius ejusmodi cibis, qualibus hic utimur, ad vitam opus habebit, neque scalis ad ascendendum; fiet enim spirituale, admirabile quidpiam, et quale pro dignitate declarare non sufficimus. „Justi splendebunt ut sol et luna et sicut splendor firmamenti.“ Ac praescius Deus hominum infidelitatis exiguissimis vermibus dedit, ut aestate lucidos ex corpore radios emitterent, ut credamus, eum, qui vermem lumine splendentem fecerit, multo magis justum hominem splendentem efficere posse.

Neque vero omnes in resurrectione similia habebunt corpora. Etenim si quis justus est, coeleste corpus accipiet, ut possit cum angelis una digne versari. Si quis autem peccator est, corpus accipiet aeternum perpetiendae peccatorum poenae capax, ut in igne aeternum combustus nunquam absumatur.

---

*) Exod. 3, 6. 15. 16.

Restat, ut de judicio postremo Cyrilli sententiam proferamus. Angelica tuba, inquit, omnes congregabuntur coram judice justo, Jesu Christo Domino nostro. Nil eum latet, quum omnia nostra sive bona sive mala in divinis libris conscripta sint. Innumeris testibus adstantibus judicium ingrederis. Quamvis enim ingens sit hominum multitudo, qui ab Adamo ad hunc usque diem exstiterunt, multo plures tamen angeli sunt. Aderit in judicio Deus omnium pater, una sedente Jesu Christo, et simul praesente Spiritu sancto. Advocabit nos omnes angelica tuba, ea quae gessimus nobiscum ferentes. Ut enim lana ovem declarat, villosa vero et aspera cutis hoedum prodit, sic etiam nos ea, quae gessimus, tanquam vestem feremus. Etenim si a peccatis purgatus fueris, actiones tuas deinceps tanquam lanam mundam habiturus es, mansuraque est tua vestis impolluta, et ex amictu agnosceris ovis. Sin autem villosus reperieris ad instar Esavi ut pilis asperi ita etiam mente pravi, in sinistris constitueris.*) Itaque regnum coelorum proponitur, et ignis aeternus praeparatus est. Quonam quaeso modo ignem effugiemus, quove modo in regnum ingrediemur? Addiscite viam: „Esurivi et dedistis mihi manducare; sitivi et dedistis mihi potum. Hospes fui et collegistis me, nudus et operuistis me; infirmus et visitastis me; in carcere fui et venistis ad me.“ Haec si feceris, una regnabis, si praetermiseris, condemnaberis. Neque modicis in rebus sistit propositus nobis finis, sed vitam aeternam ut adipiscamur, una nostra contentio est. Nam vita aeterna per Dei benignitatem veraciter nobis promissa est, eamque obtinere cupientibus diversos acquirendi modos subjicit sacra Scriptura. Aliquando enim ait per fidem eam obtineri, aliquando per Evangelii praedicationem,**) aliquando etiam

*) Cat. 15, 25.
**) Joann. 4, 36.

per martyrium et Christi confessionem; iterumque eo, quod Christum opibus et propinquitati generis anteponimus; alias eo, quod mandata divina observamus, recedentes a malis operibus et Dei servitio nos addicentes. Quum enim hominum amantissimus sit Dominus, non unam alteramque tantum sed plures ingressus in vitam aeternam aperuit januas,*) ut omnes, quantum in ipso est, nullo impediente illa perfruantur. „Haec nobis de vita aeterna dicta sunt, quae quidem eorum, quae in Symbolo profitemur, postrema doctrina et finis est; qua utinam nos omnes, et qui docemus et qui auditis, Dei gratia potiri contingat!"

*) Cat. 18, 31.

# PARS III. METHODUS CYRILLI.

Patres ecclesiae, quamquam de catechizandi methodo non anxie cogitaverunt, optime tamen in instruendis catechumenis fuisse versatos, constat inter omnes. His vero nostris temporibus, quibus diversissimarum methodorum numerus haud contemnendus quotidie nobis commendatur, non multos inveniri pastores, praeceptores, ludimagistros artis catecheticae bene peritos, negari vix poterit. Cujus rei causa in eo sita mihi esse videtur, quod nos artem catecheticam difficiliorem quam revera est, haud raro habemus. „Hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quaestionibus.“ *) Atque ante alia omnia in catechistis requiritur pura quaedam et candida animi simplicitas, qualis utique patribus ecclesiae multo magis propria fuit quam nobis. Verbum illud Domini nostri: „Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli“, singulari quodam sensu in nostri temporis catechistas dictum esse mihi videtur. Itaque operae pretium mihi facturus esse videor, si accuratius ea exponam, quae de patrum methodo et de nostra ratione modo significavi, eaque ipsa, antequam de Cyrilli methodo loquar, praemittere placet.

*) Eccl. 7, 29.

# CAPUT I.

## De catechizandi methodis in genere.

### §. 21. De methodo patrum.

Patres, de catechumenis instituendis loquentes, nunquam de iis cogitasse videntur, qui ex christianis parentibus geniti, inde ab infantia ecclesiae adnumerabantur, sed de iis tantum tum Judaeis tum Gentilibus, qui sua sponte in ecclesiam recipi vellent. Is igitur catecheseon finis erat, ut proselytis, qui proximo Paschate erant baptizandi, symbolum ecclesiae traderetur atque explicaretur. Nemo autem in candidatorum horum numerum recipiebatur, cujus voluntas nondum explorata esset.

Quare duo vel tres catechumenorum gradus distinguebantur. Ii enim, qui religionem christianam se professuros esse declaraverant, in primam catechumenorum classem recipiebantur, quibus „audientibus“ nomen est inditum. Audientes sive auditores ea de causa appellabantur, quia auditis in synaxi lectionibus biblicis et sermonibus dimittebantur. Altera „Genuflectentium sive Prostratorum“ classis fuit, quibus permissum erat, benedictionem ab episcopo pronuntiatam flexis genibus audire. Inter hos audientes et genuflectentes quum nusquam distinguat Cyrillus, sed generali catechumenorum nomine utatur, verisimile mihi videtur, utramque classem in ecclesia Hierosolymitana eandem accepisse informationem. Catechistae cuidam instituendi tradebantur, qui rudimenta religionis christianae eos doceret, quo officio modo lectores modo diaconi modo laici fungebantur, quum ad id non clericalis ordo, sed eruditio et singularis quaedam facultas requireretur. Ipsis adeo illuminan-

dis, quos Cyrillus instruebat, licitum esse videtur, ut pro viribus catechumenos informarent. Etenim Cat. XV, 18. ait: „Si quemquam per catechesin genuisti, cautum eum redde.“ Atque cap. 26. „Audientium animas fidei adjungere potes. Facito illud diligenter.“ At interiora religionis dogmata nondum aperiebantur catechumenis. De paganorum tantum erroribus, de moralibus evangelii praeceptis atque de generalibus fidei dogmatibus, ut v. c. de unitate Dei, certiores facti sunt. Sed mysterium ss. Trinitatis nondum iisdem declaratum fuisse, collegi poterit ex iis, quae Cyrillus dicit Cat. VI, 29. Atque summopere idem cavet, ne ea, quae in catechesibus audita fuerint, coram catechumenis efferantur, summaque religione symbolum iisdem occultari vult. Quum autem ex ipsis Cyrilli catechesibus intelligamus, historiam veteris et novi Testamenti notam fuisse illuminandis, hanc catechumenis traditam esse inde patet. De his primi et secundi gradus catechumenis Augustinus cogitavit in libro „de catechizandis rudibus“, itemque Gregorius Nyssenus in oratione quam scripsit catechetica.

Tertius catechumenorum ordo eorum erat, qui nomina dederant et in ecclesia matriculam inscripti erant, ut proximo Paschate baptisma reciperent. „Competentibus“ nomen his inditum est in ecclesia occidentali, φωτιζομένοις et βαπτιζομένοις in ecclesia graeca; nonnunquam etiam μέλλοντες φωτίζεσθαι, μέλλοντες βαπτίζεσθαι appellantur à patribus graecis. De significatione vocis φωτιζόμενοι si quaeras, φωτίζειν sine dubio persaepe significat: cognitione aliquem imbuere, unde φωτιζόμενοι ii erunt, qui doctrinae christianae cognitione imbuuntur; quare haud scio an reddi possit vox φωτιζόμενοι „discipuli.“ Usitatissimum vero etiam est scriptoribus ecclesiasticis, per φώτισμα ipsum baptismum intelligere, quare φωτίζειν sine dubio „baptizare“ significare potest. Φωτιζόμενοι igitur ii sunt, qui baptizantur, atque quum temporis praesentis pro futuro usus

frequentissimus sit, non errabimus φωτιζόμενοι vertentes „baptizandi"; quae interpretatio quin vera sit, equidem non dubito.

Baptizandorum sive illuminandorum institutio nunquam catechistis credebatur, sed propria episcopi vel vices ejus gerentis presbyteri cura erat. Cujus rei duplex cogitari potest causa. Prima haec esse videtur, quod catechistae ipsi non satis versati fuerint in doctrina christiana, qui primam instruerent catechumenorum classem. Majoris ponderis autem procul dubio altera causa est, quam ipse Cyrillus locis supra laudatis indicat. Interdicit enim illuminandis quam severissime, ne catechumenis dicant audita in Catechesibus. Mysterium baptizandis traditur ex Cyrilli sententia, quod Domino esset servandum. Aures catechumenorum indignae sunt, quibus sublimia haec mysteria committantur. Atque haec omnium hujus periodi patrum communis est opinio. Omnes de mysteriis cum in doctrina tum in cultu christiano somniarunt. Quo factum est, ut multum in ecclesia loquerentur de „disciplina quadam arcani", quae qualis sit nemo distincte declaravit. Ea igitur dogmata, quae in symbolo proponebantur, pro mysteriis habebantur. Etenim inde ab initio symbolum non litteris scribebatur, sed memoria retinebatur, nulla alia sane de causa quam quia symbola antiquissima paucis verbis continebantur, quae litteris mandare haud necesse erat. Hunc ecclesiae usum optime ita Augustinus interpretatus est, ut fidem christianam non tabulis vel chartae, sed cordi vellet inscribendam. Alii autem, imitatione quadam mysteriorum ethnicorum seducti, atque philosophiae neoplatonicae mysticismo imbuti, symbolum scribendum non esse contenderunt propter tremendam dogmatum christianorum sublimitatem. Itaque summa haec mysteria nullo modo catechistam neophytis tradere potuisse apparet. Episcopo tantum aut presbytero, cui mysteria baptismi, unctionis et eucharistiae

administrare licuit in coetu Christianorum, ea docere permissum esse potuit.

Triplicis generis catecheses ad illuminandos habebantur: 1) morales sive paraeneticae, quibus admonebantur, ne baptismum sine sincera fide susciperent, utque dignis poenitentiae laboribus ad eam gratiam se praepararent. Ad hoc genus pertinent apud Cyrillum procatechesis et catechesis prima; 2) exponebatur iis symbolum, quod Cyrillus Cat. 2 — 18. absolvit; 3) post baptisma mysteria proprie sic dicta explicabantur, quibus adnumerandum est baptisma cum chrismatione, eucharistia et, ut ex Cyrillo apparet, oratio dominica. Haec consuetudo ita in ecclesia invaluit, ut Lutherus quoque eundem fere in catechismo retinuerit ordinem.

Jam, ne justo diutius hac in re commoremur, videamus, quo fere modo patres doctrinam christianam baptizandis tradere studuerint. Et quamquam valde dolendum est, nullas praeter Cyrillianas exstare patrum catecheses, nec ullum reperiri opus, in quo tota baptizandorum institutio simul collecta et in unum volumen conclusa sit, tamen a vero non admodum aberrare mihi videor, pronuntians, axiomata sive principia, quibus omnis patrum catechetica doctrina nixa sit, haec fere fuisse: Baptizandi scientia quadam imbuendi sunt, quam nemo quisquam mortalium excogitare potuit, quam Deus per Filium suum unigenitum nobis revelavit. Ea igitur, quorum uniuscujusque conscientia testimonium reddit non magis quam ea, quae omnes homines de Deo cognoscere possunt secundum illud apostoli Rom. I, 19. 20., explicanda atque enucleanda putarunt patres, sed plane nova atque inaudita mysteria ex eorum sententia impertienda erant baptizandis. Hoc autem non ita fieri potuit, ut episcopus interrogaret catechumenos, qui ei responderent; ignorabant enim baptizandi mysteria illa; sed ita ut episcopus omnibus silentibus loqueretur, memoriae auditorum doc-

trinam christianam imprimens. At, dicat quis, maximum certe taedium attulit catechumenis semper loquentem audire catechistam semperque silere. Respondet Augustinus, qui in libro de catechizandis rudibus haec fere scribit: „Multum est perdurare in loquendo usque ad terminum praestitutum, cum moveri non videmus audientem, quod sive non audeat voce significare approbationem suam, sive dicta non intelligat. Tum timor nimius blanda exhortatione pellendus est et interrogatione quaerendum, utrum intelligat, et danda fiducia, ut si quid ei contradicendum videtur, libere proferat. Quaerendum etiam, utrum haec aliquando jam audierit, et agendum pro ejus responsione, ut aut planius loquamur, aut opinionem contrariam refellamus, aut ea quae nota sunt illi, non explicemus latius.“ Videmus a colloquio quodam instituendo nullo modo patres abhorruisse, neque vero ea de causa interrogaverunt, ut ignotas quasdam res evellerent ex infelicibus catechumenis, sed ut viderent utrum intellexerint quae dixisset catechista. Ac permulti ad hunc usque diem perversam illam tenent opinionem, qua „catechizare“ vocem de ea tantum instructione adhiberi posse putant, quae fiat per interrogandum et respondendum; atque catechismum librum esse ex quaestionibus et responsis constantem; indeque multi artem catecheticam nil esse nisi interrogandi artem opinantur. Quis autem ignorat, catecheseos nomen a voce „ἦχος sonus“ derivatum esse, atque „κατηχεῖν sive κατηχίζειν insonare“ de quavis institutione auribus percepta usurpari? Κατηχίζειν inde simpliciter „docere“ significat, quo sensu Paulus apostolus hoc verbo utitur 1. Cor. 14, 19. Galat. 6, 6. nec unquam patres de alia hujus verbi significatione cogitarunt. Eleganter Cyrillus Procat. 6. catechizandi significationem exponit his verbis: Κατηχούμενος ἐλέγου, ἔξωθεν περιηχούμενος. Οὐκ ἔτι περιηχῇ, ἀλλ' ἐνηχῇ κ. τ. λ. Quae verba latine reddi vix possunt. Περιηχούμενος enim is est, quem sonus quidam exterior cir-

cumdat; ἐνηχούμενος is, in cujus animum per aures sonus intravit, ita ut intelligeret quid sonus ille significaret.

## §. 22. De methodo nostra.

Quum medio aevo de populo instruendo parum cogitatum esset, reformatoribus nostris hoc ante alia omnia curae fuit, ut ignorantiae plebis christianae mederentur. Quanta Lutheri fuerint merita hac de re, quis est, qui ignoret? Cujus catechismus minor ad hunc usque diem a nullo superatus est. Unus tantum catechismus dignus est, qui cum illo conferatur, Heidelbergensis noster: quare grato animo Friderici III, Ursini et Oleviani memoriam repetamus, quorum unum, Olevianum, in munere, quo fungor, antecessorem me habuisse gloriari equidem possum. Eo magis dolendum est, ea quae bene incoepta erant reformationis temporibus, non eodem modo perducta esse saeculo sequente. Orthodoxiae enim temporibus nullus fere pastor juvenibus instituendis operam dedit, satis esse ratus, juvenibus formulas orthodoxas, quas intelligere saepissime non potuerunt, inculcare. Graviter de rebus catecheticis maxime afflictis conqueritur Valentinus Andreae, dialogum proponens Theophili cujusdam cum Georgio catechumeno. Georgius e catechesi domum redit, atque Theophilus quae fere ille didicerit scire cupiens, interrogat: „Peccatum quid est? Georgius: Praedicatio evangelii de Jesu Christo. Th. Apage! peccatum, bonum an malum? G. Malum. Th. Quam poenam debet? G. Gehennam. Th. Ergo et tu Gehennae reus? G. Neutiquam. Th. Qua excusatione? G. Propter fidem. Th. Quae haec fides est? G. Credo in Deum patrem omnipotentem creatorem etc. etc. Th. Quis te creavit? G. Jesus Christus. Th. Atqui modo

aliter dicebas? — Dic vero, de quo conceptus est Christus? G. Pontio Pilato. Th. Credisne remissionem peccatorum? G. Credo. Th. Qua fiducia? G. Non propter hanc causam ut satisfaciamus nostris operibus pro peccatis, ut mereamur vitam. Th. Hoc aliquid nihil est, hoc nihil est aliquid. — Quibus usus est Christus elementis ad instituendam coenam? G. Corpore et sanguine Jesu Christi. Th. Quid vero de pane et vino, quae est ejus utilitas? G. Haec, quod reputor per hanc fidem coram Deo justus.“ *) Andreae ante oculos nobis ponere vult, quanta fuerit plebis ignorantia, licet nonnullas orthodoxas formulas audivissent easque etiam in memoria retinuissent. Nova periodus cum Spenero exoriri videbatur, cujus catechismus nostris laudibus haud indiget; multum enim inde unusquisque, cui catecheses habendae sunt, discere potest. Idem autem, quod reformationis saeculo evenerat, post Speneri tempora accidit. Quod bene coeptum erat, male continuatum est. Rationalismus et Philanthropia saeculi decimi octavi de arte catechetica quam perversissime judicarunt. Methodus ista inventa est, quam Socraticam appellarunt, quam vero pessimam ineptissimamque esse equidem persuasum mihi habeo. Haec enim methodus doctrinam christianam non proponit catechumenis, sed e catechumenis omnem doctrinam interrogando elicere conatur. At jure quaeras, quo tandem modo fieri possit, ut e catechumeno quidquam eliciatur, quod ille plane ignorat? Facilius utique mihi videtur aquam haurire e fonte exsiccato, guttulas quasdam spongiae siccae exprimere quam doctrinam quandam ignotam interrogando ex animo catechumeni elicere. Quibus sagacissimus iste catechista Socraticus ita opinor respondebit: Ex iis, quae tu modo dixisti, apparet te non intelligere

---

*) Nitzsch, praktische Theologie II, p. 152.

interrogandi artem. Haec enim sublimis hujus artis vis est, ut sciat catechumenus omnia, quae proprie nescit. At vero, quomodo hoc fieri potest, ut sciat homo quae proprie nescit? Aut scit aut nescit. Si quis nescit Deum esse triunum, quomodo dicere potest, quae sit doctrina de ss. Trinitate? Facillimum est, respondet Socraticus. Dabo tibi exemplum. Veni mecum in classem catechumenorum. Classem illi intrant. Jam artificia sua demonstrare coepit Socraticus, miseros excrucians catechumenos. Praeceptor: Videsne tu hanc mensam? Discipulus: Video. P. Quis eam fecit? D. Faber scrinarius. P. Quot mensas facere potest unus scrinarius? D. Mille fortasse aut plures. P. Potestne unus scrinarius omnes, quae in terris inveniuntur facere, mensas? D. Minime gentium. P. Cur non? D. Quia vires non habet, nec licet per otium. P. Jam dicas mihi velim, quanam ex materia fecerit scrinarius mensam? D. Ex axibus. P. Et ex quanam materia axes facti sunt? D. Ex arboribus. P. Et quis fecit arbores? D. Nemo. Arbores crescunt. P. At quibus rebus indigent arbores, ut crescere possint? D. Sole, imbre, calore etc. P. Quis educit solem, quis facit imbrem, quis mittit calorem? D. Haec omnia nescio. Nunquam enim quemquam vidi, qui eduxerit solem, qui fecerit imbrem, qui miserit calorem. P. Tu nunquam eum vidisti? Optime. Suntne omnia, quae videre possumus, visibilia? D. Sunt. P. Et ea, quae videre non possumus? D. Invisibilia. P. Qualis igitur is est, qui solem educit? D. Invisibilis. P. Quid autem invisibile est, corpus aut spiritus? D. Spiritus. P. Is igitur, qui solem educit, utrum corpus est an spiritus? D. Spiritus. P. Tum interrogando elicitur, spiritum hunc omnipotentem esse, atque Socraticus noster pergit: Spiritus hic omnipotens utrum bonus est an malus? D. Bonus. P. Quare tu hoc credis? D. Nescio. P. Nunquam dicere licet „nescio.“ Ego scio te scire. Audi! Pater tuus

utrum bonus est an malus? D. Bonus. P. Unde tu scis patrem tuum bonum esse? D. Quia me amat. P. Amatne pater tuus te solum? D. Minime, amat multos homines. P. Quem autem maxime omnium amat? D. Me. P. Quare? D. Quia filius sum. P. Amatne eodem modo tuos fratres et sorores? D. Neque fratres neque sorores habeo. P. Tu igitur unus filius est? D. Sum. P. Quemnam igitur maxime amat pater? D. Filium unigenitum. P. Et spiritus ille bonus et omnipotens, qui pater omnium est, quem maxime amabit? D. Filium unigenitum. P. Optime, optime. Jam invenisti maximum doctrinae christianae mysterium. Sed nondum ad finem pervenimus. Dicas mihi, amasne tu patrem tuum? D. Profecto. P. Pater igitur te amat aeque atque tu patrem. Amor utrum visibilis est an invisibilis? D. Invisibilis. P. Num igitur corpus est an spiritus? D. Spiritus. P. Itaque spiritus amoris invenitur in patre atque in filio. Quomodo autem rem se habere putas in spiritu omnipotente et filio ejus unigenito? D. Eodem prorsus modo. P. Recte. Spiritus omnipotens, quem patrem appellavimus, amat filium et filius amat patrem. Uterque igitur habet spiritum charitatis. Spiritus autem hic charitatis utrum sceleratus est an sanctus? D. Sanctus. P. Quis igitur est spiritus patris et filii? D. Spiritus sanctus. P. Et spiritus sanctus cujusnam spiritus? D. Patris et filii. — Jam summopere gaudet hoc stultissimo suo artificio Socraticus homo: Plaudite amici, fabula peracta est! Hujusmodi nugis excruciare solent Socratici infelices catechumenos. Neque ratio eorum exercitatur et excolitur, neque doctrina christiana iisdem traditur. Tota illa methodus Socratica nil prodit nisi dementiam atque fatuitatem. Hinc recte Pestalozzi dixit, hanc methodum nihil aliud esse nisi (quod malim ipsius verbis afferre) „hineintrichternd herauszupumpen.“ Recteque etiam Palmer haec profert: „Wer am wenigsten erst dem Kind zu geben brauchte,

am meisten ihm „„ablocken““ konnte, der war Meister. Die Sokratik feierte ihren Triumph.“ *)

Haec methodus Socratica quamquam ab omnibus fere artis catecheticae praeceptoribus hodie rejicitur et condemnatur, haud raro tamen adhuc catechistas invenias eandem sequentes. Sunt qui credant ad hunc usque diem, artem catecheticam esse artem interrogandi et inquirendi. Quo fit, ut catecheses discipulis tormenta et cruciatus fiant, ut ipsa doctrina christiana in odium vocetur. Obruuntur catechumeni quaestionibus ita saepe comparatis, ut nemo quisquam ad eas respondere valeat. Aenigmata iisdem proponuntur, quae solvere saepius plane nesciunt. Magis igitur aenigmatibus solvendis quam fidei christianae addiscendae animus fit deditus. In hoc interrogandi modo primarius methodi catecheticae error situs esse mihi videtur. Accedit alterum vitium idque non multo minus in hac ratione, quod multi catecheses garritu quodam pio consumunt, quem utrum ineptiorem dicam an fastidiosiorem utique nescio. Etenim ab eo tempore, quo rationalismus inter theologos evanescere coepit atque fidem quodammodo orthodoxam sequi in consuetudinem venit, permulti de fide et pietate christiana loquuntur in modum caeci hominis de coloribus loquentis. Catechizare nihil iis esse videtur nisi per quoddam temporis spatium de rebus christianis garrire. Si post hujusmodi catechesin quaeris e catechista: Quisnam fuit finis catecheseos, quid tu tibi voluisti? huic respondendum erit: Nil mihi volui nisi pia confabulatione horam consumere. Atque si catechumenos interrogas, quid tandem didicerint in catechesi? tum illi: „plane nihil“ respondebunt.

Quae de nostrae methodi vitiis modo dixi, vera esse ipse cognovi, quum saepissime jam catechesibus interfuerim utroque hoc vitio laborantibus, quamquam bene catechizare non diffi-

---

*) Katechetik p. 94.

Quod ad mystagogicas attinet, omnes in paschali hebdomade pronuntiatae sunt a feria secunda ad sextam. Breve tantum temporis spatium baptizandis instituendis concessum erat. Quod ne miremur, cogitandum est in nulla ejus temporis ecclesia prolixiorem catechumenis datam esse institutionem, atque in plurimis una vel duobus catechesibus totam hanc institutionem, quantum nos scimus, fuisse absolutam. Multae eaeque haud levissimae afferri possunt rationes, quibus permoti patres copiosiorem catechumenorum institutionem haud necessariam esse putaverunt. Prioribus enim ecclesiae saeculis Christianorum pietatem minus in doctrina quam in vita et veritate fuisse positam, satis constat. Adde, quod non pueri tredecim vel quatuordecim annos nati Cyrillo erant instituendi, sed viri et feminae aetatis jam adultae. Attamen prolixiorem et copiosiorem institutionem catecheticam meliorem esse, equidem affirmare non dubito; quare in eo, quod ecclesia reformata biennium fere ubique catechumenis instituendis destinaverit, maximum hujus ecclesiae video meritum. Ut ad Cyrillum revertar, unicuique catechesi, sola procatechesi excepta, lectio biblica praefixa est, quam pro argumenti tractandi ratione a Cyrillo selectam esse patet. Omnes ad rei exponendae argumentum maximae sunt accommodatae, quumque unamquamque, quae nobis pronuntianda est, catechesin verbo divino niti oporteat, conspectum lectionum Cyrillianarum subjicere placet.

Procatechesis propriam lectionem non habet, cujus rei duplicem video causam. Prima est, quod nullum in Procatechesi doctrinae caput fuit explicandum, quare verbum quoddam scripturae praemittere minus necessarium esse videri potuit. Alteram eo refero, quod verisimile est, hanc orationem die dominica habitam esse, ut Touttaeus conjecit. Audierant igitur illuminandi ordinatas et veteris et novi Testamenti lectiones in concione publica.

Catechesis prima, quae in eodem fere argumento quo procatechesis versatur, brevem quandam ad baptismum invitationem continens atque adhortationem ad illum rite suscipiendum, lectionem habet: Jesaiae 1, 16 sqq. „Lavamini, mundi efficimini, auferte malitias ab animabus vestris coram oculis meis", ad finem ut videtur capitis.

In catechesi secunda ad poenitentiam baptizandos exhortatur, peccati gravitatem atque originem declarans, atque remedium hominis poenitentia et Dei bonitate paratum demonstrans. Lectio praefixa est ex Ezechiele 18, 20, ad capitis finem sine dubio.

Catechesis tertia de baptismo copiosius exponit atque pulcherrimam illam epistolae ad Romanos habet lectionem: „An ignoratis, quod quicumque in Christum Jesum baptizati sumus" etc.; cap. 6, 3. 4 sqq.

In catechesi quarta, quae „de decem dogmatibus" inscribitur, ad explicanda fidei elementa aggreditur, brevi quodam conspectu omnes symboli articulos proponens, cui quidem orationi lectio ex epistola ad Coloss. 2, 8. aptissime est praefixa: „Videte, ne quis vos depraedetur per philosophiam et inanem fallaciam" etc.

Catechesin quintam, de prima symboli voce: „Credo vel credimus" habitam, indeque de fide et symbolo inscriptam, lectio capitis 11. epistolae ad Hebraeos antecedit.

Sexta de monarchia Dei sive de symboli verbis: „Credo in unum Deum" lectionem habet Jes. 45, 16 sqq.

Catechesis septima, quae Deum patrem Jesu Christi et nostrum esse patrem exponit, lectionem habet ex epistola ad Ephesios 3, 14 sqq.: „Hujus rei gratia flecto genua mea ad patrem, ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur" etc.

In octava oratione de eo disserit Cyrillus, quod Deus omnia sub imperio tenet et ad arbitrium moderatur, ad symboli vocem „Omnipotentem." Cui argumento lectio praescripta est ex Jeremiae prophetae cap. 32, 18 sqq.: „Deus magnus et

fortis Dominus, Dominus Sabaoth tibi nomen, magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu" etc

Catechesis nona de creatione lectionem habet e libro Jobi cap. 38, inde a versu secundo: „Ubi eras, quando ponebam fundamenta terrae" etc.

Decimae de uno Domino Jesu Christo lectio ex epistola prima ad Corinthios 8, 5. desumta est: „Nobis unus Deus est et unus Dominus Jesus Christus."

Ante undecimam catechesin de divina Domini nostri natura caput primum epistolae ad Hebraeos lectum est.

Catechesis duodecima de incarnatione filii Dei lectionem habet celeberrimum illud caput 7. Jesaiae prophetae de Immanuele.

Decimae tertiae catecheseos lectio aeque ex Jesaia est depromta. De Christi crucifixione et sepultura locuturus quamnam clariorem invenire potuit lectionem quam caput 53. Jesaiae?

Catechesis decima quarta de Christi resurrectione, ascensione et consessu ad dextram patris lectionem habet 1. Cor. 15.

Lectio decimae quintae orationis de adventu Domini *ad judicium* novissimum totum caput 7. Danielis prophetae complectitur.

Doctrinam de Spiritu sancto in catechesi decima sexta et septima exponit Cyrillus, quarum utrique lectionem ex epistola prima ad Corinthios praefixam invenimus, decimae sextae primam capitis duodecimi partem, decimae septimae alteram partem.

Ante decimam octavam catechesin de novissimis Ezechielis cap. 37. praelectum est, de campo ossibus hominum pleno.

Mystagogicae catecheses ut ipsae breviores sunt, ita etiam earum lectiones. Mystagogica prima lectionem habet 1. Petr. 5, 8. ad fin. Secunda lectionem Catecheseos tertiae repetit, Rom. 6, 3—14. Tertia, in qua de unctione disserit Cyrillus, habet lectionem e prima Joannis epistola, 2, 20—28. Quarta locum illum classicum de coena Domini, 1. Cor. 11, 28 sqq. Quinta de missa 1. Petr. 2, 1 sqq.

Hujusmodi brevem lectionem biblicam catechesibus praemissam facile nos quoque imitari posse credo, recteque simili quo Cyrillus modo Jaspis, vir clarissimus, artis catecheticae maxime peritus, in egregio illo quem edidit catechismo unicuique capiti biblicam lectionem praefixit, cujus duplicem utilitatem mihi affirre posse videor: primo loco catechumenos in Scripturam sacram illa magis magisque introducit, tum autem nobis, quibus malo quodam catechismo utendum est, fundamentum quoddam praebet, quo niti liceat minore catechismi respectu habito.

De indole catecheseon Cyrillianarum haec fere habeo monenda: finis eorum fuit, ut baptizandis non nova quaedam doctrina traderetur, sed fides ecclesiae catholicae. Hunc semper ante oculos sibi posuit finem Cyrillus. In exponenda fide haec ejus methodus esse solet, ut primum contrariam doctrinam referat, deinde catholicam illi veritatem opponat, eamque necessariis scripturarum aliorumque argumentorum praesidiis comprobet. Quid de modo contra haereticos disputandi sentiam cum in paragrapho sequente exponam, hic tantum nonnulla de biblicis, quae tractat, argumentis afferam. Dogmatum christianorum expositio luculenta et accurata est. Nullas fere voces theologis proprias admiscet, easque inprimis, quae illo tempore magnis in ecclesia contentionibus locum dabant, studiose devitat; qualia erant essentiae, hypostaseos, personae et alia ejusdem generis vocabula. Quae in Scripturis sunt revelata, ea fidenter proponit; quod aperire noluit Deus, omnino attingere veretur. Ita, Cat. XI. postquam id, quod de divina generatione credendum proponit ecclesia, explicavit, hujus nativitatis arcanum a nemine indagari patitur. Eodem modo Cat. XVI. et XVII. quaestionem de Spiritus sancti substantia intactam vult.

Catecheses omnes ex tempore pronuntiatas esse non solum inscriptiones docent, sed etiam ipsae catecheses et argumento et forma produnt. Crebras enim non tantum in diversis cate-

chesibus, sed etiam in una eademque invenimus repetitiones, ejusdem rei iisdem fere verbis factae. Scripturarum testimonia minus accurate saepe affert, ita quidem ut unum idemque testimonium alio aliis locis modo recitet, atque duos vel plures similes locos confundat et permisceat. Haec omnia tantum abest, ut laudi et pretio catecheseon quidquam detrahant, ut justam potius Cyrilli gloriam augere mihi videantur. Genus enim dicendi, quo ille ex tempore dicens utitur, ad instituendos rudes animos procul dubio est longe accommodatissimum. Hic non graves reperiuntur sententiae, quales in magnarum rerum amplificatione adhiberi solent, non exornationes sententiarum copiosae, non exclamationes, apostrophae ceteraeque figurae rhetoricae, sed simplex quidam et familiaris sermo, facilis atque perspicuus, ut plane decet patrem ac magistrum filios et discipulos erudientem. Dictio Cyrilli non venusta quidem est et elegans, sed facilis et perspicua. Nunquam in aridum et exsangue orationis genus ille dilabitur. Semper calorem quendam in ejusdem oratione invenimus, ita ut audientium animos moveat atque excitet attentosque eos retineat. Cujus rei exemplum praebet Cat. XIII, 23. De morte atque de cruce Domini clarissime disserens, „Crucifixus est Dominus, inquit; accepisti testimonia. Vides locum Golgathae ....“ Quibus auditis acclamaverunt catechumeni quasi assentientes, unde quam attenti fuerint, merito concludi potest. His acclamationibus egregie utitur Cyrillus, quum pergat: „Acclamas cum praeconio, tanquam assentiens. Vide ne aliquando in tempore persecutionis neges. Ne in tempore pacis solummodo gaudium tibi crux sit, verum etiam in tempore persecutionis eandem habeto fidem.“

Inde catecheseon oratio ita comparata est, ut haud paucas sermonum partes in colloquii formam vertere facillime possis. Hoc dicendi genere in catechesibus ubique omnes utamur oportet. Equidem certe e catechesibus Cyrilli perlegendis me

non solum mirum in modum oblectatum fuisse, sed multa etiam et, ut spero, utilia didicisse, grato animo confiteor.

## §. 24. De Cyrilli methodo judicium.

Omni laude dignam esse methodum Cyrilli, modo exposui. Ad cujus laudes cum multa alia quoque possint afferri, equidem apta et maxime convenienti methodo Cyrillum usum esse persuasum mihi habeo. Attamen nonnulla invenio, quae non possum quin pro vitiis habeam, de quibus liceat pauca quaedam addere.

In depugnandis haereticis non semper ea, qua decet prudentia utitur Noster. Dormitat nonnunquam bonus Homerus. Supra jam monui (§. 8), de Valentino, de Manichaeis, aliis haereticis multa Cyrillum dixisse, quae erronea esse videantur. Quem difficile credas melius edoctum esse non potuisse, quum libros haereticorum perlegere ipsosque eos audire licuerit. Nec magis credas, illum calumniandi studio ductum, consulto atque de industria falsa de haereticis narrasse. Quare equidem mihi persuasum hàbeo, Cyrillum eo, quo flagrabat studio ecclesiastico, ita obcaecatum fuisse, ut omnes ab ecclesia sejunctos non erroris tantum cujusdam in animo, sed omnium etiam scelerum in vita reos esse putaret. Quod non ei soli accidisse scimus, sed patrum ecclesiae quam plurimis. Atque ne alios vituperare videar de iis, quorum culpam vel nostra aetas sustinet, neminem fugit, vel nostris temporibus odium quoddam sectarum inveniri, quod nullo modo ferendum. De romano-catholicis tantum me loqui ne putes: etenim Iliacos intra muros peccatur et extra. Quod ad ecclesiam romano-catholicam attinet, saepe equidem inveni, in terris fidei catholicae prorsus addictis homines non solum haereticos, sed etiam paganos et Judaeos nos haberi. In urbe quadam ad mare

Adriaticum sita feminae haud ignobili loco natae equidem vix persuadere potui, Judaeum me non esse. Cujus rei causa haec fuit: Narraveram ei, uxorem filiamque me habere, atque clericum me esse. Tum illa: tu igitur rabbi judaicus es. In oriente saepissime homines vidi, qui Protestantes Christianos esse negarent maximeque obstupescerent, quum nos Dominum Jesum Christum invocantes audirent. Brugis in Flandria duobus abhinc annis Jesuita quidam in concione sacra Judaeos et Protestantes composuit, atque Turcos religioni christianae propiores esse quam illos distincte significavit.

Idem vero etiam in terris protestanticae fidei plane addictis fieri compertum habemus. Mira de romano-catholicis cogitant homines in Scandinavia atque Dania. Neque de catholicis solum ita sentiunt, quos pro idololatris habent, sed de reformatis etiam, quos atheos esse suspicantur. In magnoducatu Megalopolitano rustici haud raro de equo contumaci „equum meum catholicum factum esse puto", inquiunt. Quid? quod multi nostrum eos, qui sectae cujusdam socii sunt, eodem modo oderunt, quo Cyrillus veteres illos haereticos? Nonne inter theologos et jurisconsultos inveniuntur, qui magistratus christiani officium esse putent, baptistas aliosve „dissentientes" chalybis et carceris vi supprimere?

Quae quum ita sint, facile invenias causas, quibus Cyrillum justo severius de haereticis judicantem excusare possis.

Alterum, quod in Cyrilli methodo vituperandum mihi videtur, ad modum spectat, quo Scripturae sacrae locis in catechesibus saepissime utitur. Cui quod curae fuit, omnium singularumque rerum perspicuam e Scriptura afferre demonstrationem, id quidem laudari debet, sed hac in re haud raro ei accidit, ut aut locum afferret, qui nullo modo probat, quod vult demonstrare, aut locum quendam falsissime explicaret. Cujus rei unum alterumve exemplum afferre mihi liceat.

Cat. VIII, 6. dicit divitias, aurum et argentum non diaboli esse, sed Dei, atque ad hoc probandum locum affert ex Haggaeo propheta 2, 8. „Meum est aurum et meum argentum, et cui volo ipsum dono.“ Extrema verba Haggaei non sunt, sed diaboli, dum tentat Christum, Luc. 4, 6.

Cat. XIII, 14. „Ligatus, inquit, Christus venit a Caipha ad Pilatum. Anne et hoc perscriptum est?“ Jam laudat locum Hoseae prophetae 10, 6. his verbis: „Καὶ δήσαντες αὐτὸν ἀπήγαγον ξένια τῷ βασιλεῖ Ἰαρείμ. Regem, de quo propheta loquitur, Herodem esse contendit Cyrillus, cui Pilatus Dominum misit quasi in munus. Propheta autem de vitulo aureo loquens aperte dicit 1, 6. secundum LXX. interpretes: „Καὶ αὐτὸν εἰς Ἀσσυρίους δήσαντες“ κ. τ. λ.

Cat. XIII, 24. locum Sach. 14, 6. 7. de tenebris interpretatur, quae die mortis Domini ab hora sexta ad nonam factae sunt, quamvis versus 5. et 8. luce clarius demonstrent, longe aliis de rebus cogitasse prophetam. Nolo nunc pluribus de eo disputare, quod e Psalmo 74, 12. demonstrat, Golgatham centrum totius orbis terrarum esse; hoc enim a Graecis ad hunc usque diem creditur. Quid autem sibi velit Cyrillus Cat. XIII, 17. locum Cantici canticorum 3, 11. laudans, plane non assequor. Loquitur de eo, quod milites Jesum spinis coronaverunt, jamque recitat verba: „Egredimini et videte, filiae Hierusalem, regem Salomonem in corona, qua coronavit eum mater sua in die desponsationis et in die laetitiae cordis ejus.“ Linguam hebraicam Cyrillum non intellexisse ex perversa nominis Judae interpretatione intelligitur, quae exstat Cat. XIII, 9. „Ἰούδας καλεῖται ἐξομολόγησις.“ Idem e Procat. 14. elucet, quo loco nomine Samuelis τὴν σωτηρίαν θεοῦ ἐπακούσαντος significari dicit.

Sed haec hactenus. Plura alia exempla poterunt afferri, quae saepius in laudandis scripturarum locis Cyrillum peccasse

demonstrant; multa, quibus elucet Cyrillum haud sibi constare, qui, quum Cat. XIII, 9. solum litteralem scripturae sensum ad faciendam fidem divinorum dogmatum sequi se dixerit, nihilominus in allegoricum et mysticum libentissime excurrerit. Id vero, quod omnium fere et latinorum et graecorum patrum commune est vitium, eo facilius Nostro condonabimus, quod eorum temporum consuetudo non solenne solum et usitatum, sed etiam laudabile illud reddebat.

Sed omnia ea, quae forte vituperanda invenias in Cyrilli catechesibus, longe ab iis superantur, quae summis laudibus merito sunt extollenda. Equidem vix dubitaverim affirmare, ex omnibus antiquitatis monumentis nullum fere, quod majoris sit pretii, ad nos pervenisse. Maximi momenti Cyrilli testimonium est in omnibus iis, quae de sacris Hierosolymorum locis instituuntur disquisitionibus. Omnia religionis dogmata nullo omisso in catechesibus exponit, atque sepositis theologicis vocibus, res e media theologia repetitas usitato sermone disserit. Cyrilli catecheses dignae procul dubio sunt, quae ab omnibus artis catecheticae studiosis summa diligentia perlegantur. Gratum igitur animum erga Deum optimum maximum profitemur, quod pretiosum hoc et in suo genere unicum ecclesiae monumentum nobis voluit conservare.

---

# INDEX RERUM ET VERBORUM.


Aaron summus sacerdos ejusque virga 96. 160.
Absalomi monumentum in valle Jehosaphat 24.
Acacius ep. Caesariensis 37.
Acta sanctorum de inventione crucis 83.
Adamus a Deo creatus 83. 96.
Albinus Judaeae procurator 10.
Alexander ep. Alexandrinus Arium deposuit 28.
Alphaeus Jacobi pater idem est ac Clopas 5.
Ambrosius 78.
Ananus summus sacerdos 10.
Andreae Valentinus 169.
Angeli spiritus sunt, spissum et densum corpus non habentes 65. Habitatio eorum coelum est 65. Eorum multitudo, ordines et munus 65—67.
Anselmus Cantuariensis 97.
Antichristus 69. 123.
Apostolorum ecclesia in monte Sion 128.
Arius et Arianismus 28. Arius ab Alexandro depositus 28. denuo receptus 30. Constantinopoli mortuus 30.
Assemanni codex liturgicus 49. 153.
Athanasius ep. Alexandrinus 30.
Augusti archaeologia 49. 153.
Augustinus de catechizandis rudibus 165.

Bähr Dr. de morte Jesu 115. 120.
Baptismi ceremoniae 137 sqq. baptismus ad salutem necessarius 141.
Bar-Cochba ejusque seditio 8. 16.
Basilica resurrectionis a Constantino M. Hierosolymis exstructa 22. basilicae descriptio 24. ejus dedicatio 26.
Basilides ejusque doctrina 58.
Bether oppidum munitissimum prope Hierosolyma 16.
Bethlehem Cyrillus vidit ante Helenae tempora 32. 76.
Bingham origines ecclesiasticae 44.
Burdigalensis peregrinatoris de Golgatha testimonium 26.

Calvinus de reliquiis crucis 84.
Carpocrates 58.
Catecheses; triplex catecheseon genus 167. a Cyrillo quadragesimae hebdomadibus habitae 175. ex tempore dictae 180. lectiones biblicae 177.
Catechumenorum gradus tres 164. 165.
Cerinthus 58.
Cestius Gallus Syriae praefectus 13.

Chosroes Persarum rex 84.
Christus Dei filius unigenitus 100. generatio filii aeterna est 100. modus generationis intelligi nequit 102. filius est Verbum Dei hypostaticum 104. omnia per eum creata sunt 105. homo factus est 75. doctrina de unione personali 106. Christi nativitas 75. natus est ex virgine 95. causae incarnationis 97. locus praesepii templo ornatus 76. miracula Christi 76. passio et mors 76. 77. satisfactio vicaria 109. 110. doctrina nostrae ecclesiae 116. doctrina Anselmi 118. crux Christi vide crux. descensus ad inferos 93. 112. resurrectio 92. ascensio in coelum 93. Christus a dextris patris sedet 94. adventus secundus 121.
Concilium Chalcedonense 50. 106. Constantinopolitanum 40. Hierosolymitanum 5. Nicaenum 28. 29. Seleuciense 38.
Confessio Augustana 50.
Constantinus M. optime meritus de ecclesia Hierosolymitana 20. vide Basilica. Constantini epistola ad Macarium 21. 22. 87.
Constans et Constantius Constantini filii 32. epistola Cyrilli ad Constantium 33.
Creatio coeli et terrae 62.
Crucifixionis Christi locus Constantini temporibus absconditus, sed non ignotus 22. hujus loci descriptio 23.
Crux Christi ab Helena reperta 78. Ambrosii de hac re narratio 78. Rufini 79. Theodoreti, Socratis et Sozomeni 79. Chrysostomi 81. locus inventionis describitur 79. cisterna olim fuisse videtur 80. cognita ex titulo a Pilato conscripto 81. ex miraculo quodam 91. 82. per tria saecula conservari potuit 86. in particulas divisa est 83. 88. 99. a Persis rapta 84. ab Heraclio exaltata 84. 85. Crux lucida Hierosolymis apparuit 33 sqq. Crucis signo se obsignant Christiani 70. 158.
Cyrillus quando natus 32. presbyter ordinatus a Macario ep. 33. quando dixit catecheses 32. Arianis ab Hieronymo adnumeratur 33. episcopus electus 33. ab Acacio depositus 37. causa depositionis 38. sacrilegii accusatus est 39. ter in exilium missus 38. 39. perturbatam invenit ecclesiam 40. testimonium orthodoxiae accepit a synodo Constantinopolitana 40. Hierosolymis mortuus est 41.

Daemonologia 68. natura daemonum 69. daemones in hominum animas irrumpunt 70. crucem timent 70. 158. exorcismis ejiciuntur 70.
Deus incomprehensibilis 52. Pater 53. omnipotens 56. omnia creavit 62. cur homo factus 97.
Deyling D. E. de Aelia Capitolina 15.
Diabolus bonus creatus 68. voluntatem poenitentiae nesciam habet 69. auctor peccati est 69. 73. deceptus et superatus a Christo 99. 111. 114. 115.

Ebionitae 58.
Ebrard Dr. christliche Dogmatik 107.
Ecclesia una sancta catholica 154.
Eleasar zelotarum Hieros. dux. 13.
Epistola Cyrilli ad Constantium non suppositicia est 34.
Eucharistia s. sacra coena 145. de ceremoniis in eucharistia ob-

servandis 146 sqq. doctrina Cyrilli de praesentia corporis et sanguinis Christi 148. de sacrificio eucharistico 151.
Eusebius de loco crucifixionis et de inventione crucis tacet 87. ejus Chronicon 88.
Eutyches et Eutychiani 106. 107.
Eva sine matre nata 96. per Evam virginem venit mors 96.
Evangelium in toto orbe praedicatum 123.
Exorcismi et insufflationes salutares sunt 70. 138.

Filius Dei v. Christus.
Fridericus III. elector Palat. 169.

Gelasius papa de inventione crucis 82.
Gessius Florus Palaestinae procurator 13.
Gethsemane hortus 76.
Gobat Samuel ep. Hierosol. 9.
Golgatha 17. describitur 23. v. crucifixio.
Gratianus imperator 40.
Gregorius Nazianzenus 120.
Gregorius Nyssenus 165.
Gretseri opus de cruce 37. 78. 83. 84. 88.

Hades 113.
Haeretici, quomodo Cyrillus eos depugnavit 181.
Hakeldama 128.
Hasse, Anselm von Canterbury 118.
Heidelberga, templum Spiritus s. et hospitium publicum ad equitem 25.
Heidelbergensis catechismus 97. 169.
Helena Hierosolyma profecta est 21. Helenae sacellum 80.
Heraclius imperator 84.
Herbelotus, bibliotheca orientalis 60.
Herodes Agrippa I. Jacobum Zebedaei interfecit 4.
Hierosolymorum devastatio 11.
Homines a Deo creati 71. peccant ex libera voluntate 72. seducuntur a diabolo 73.
Hutteri loci theologici 116.

Jacobus Alphaei 5.
Jacobus Justus, primus Hierosol. ep. 7. ejus pietas 8. martyrium 9. liturgia 49. 153.
Jacobus Zebedaei 4.
Jejunia in ecclesia instituenda 157.
Jesus v. Christus.
Inspiratio Scripturae sacrae 131.
Joannes Damascenus 119.
Jordanus 98.
Josephus ab Arimathia. ejus hortus 24.
Irenaei doctrina de morte Christi 114. 115.
Judicium postremum 116.
Julianus apostata imperator 39.
Jupiter Capitolinus, ejus templum in monte Moria 17. 18. Minervae et Bacchi pater 95.
Jus episcopale principum 30.

King historia symboli apostolici 45.
König de descensu Christi ad inferos 45.
Krafft, Topographie Jerusalems 17. 128.

Latro cum Christo crucifixus 76.
Lazarus a Christo resuscitatus 74.
Lebeau Dr. de symbolo apost. 44.
Liturgia Cyrilli 153.
Longinus centurio, ejus sacellum 79.
Loti uxor 160.

Lutherus de reliquiis crucis 84. de missa 154. Lutheri catechismus 169.
Lutheranorum theologorum doctrina de persona Christi 107.

Macarius ep. Hierosol. 21. 26.
Manes et Manichaei 60.
Marcion 58. Marcionitae 126.
Marcus primus Hierosolymorum ep. e gentibus 19.
Maria Alphaei 5.
Maria mater Domini virgo peperit 95 sqq. omni veneratione digna est 157.
Martyres 175.
Martyrium resurrectionis appellatur basilica sepulcri 27.
Maximus ep. Hierosol. 26.
Menander haereticus 58.
Monachi et virgines 156.
Monasterium copticum Hierosol. 80.
Monophysitica doctrina 106.107.
Montanus et Montanistae 126.
Moyses 73.
Mystagogicae catecheses 135—137.

Neander Augustus 7. 58. 121.
Nestorius et Nestoriani 106.107.
Nitzsch praktische Theologie 170.

Oblias cognomen Jacobi Justi 8.
Olevianus 169.
Olivarum mons 93. vestigia Christi ibi ostenduntur 94.
Origenis philosophia 28. doctrina de morte Christi 115.
Ostracine Aegypti oppidum 5.

Palmer, Katechetik 173.
Paradisus coelestis 77. 113.
Paulus apostolus 5.
Paulus Samosatenus 28.
Peccatum 73. peccatum originale 74.
Pelagius 74.
Pella ejus situs 11. 12. asylum Christianorum 13. quamdiu ibi commorati sint Christiani 13. 14.
Pestalozzi de methodo socratica 172.
Petrus regni coelorum claviger 155.
Philanthropia saeculi XVIII. 170.
Phönix avis 159.
Portae Hierosolymorum 4.
Praeexistentia animarum 72.
Pusey Dr. Oxon. 8.

Rationalismus 170.
Resurrectio mortuorum 159.
Rivetus Andreas de epistola Cyrilli ad Constantium 34.
Robinson Dr. laudatur 20. refutatur 21.
Rothe Dr. R. Die Anfänge der christlichen Kirche 4.
Rufus Bar-Cochbae filius 16.

Sabellius ejusque haeresis 28. 126.
Sacerdotalis ordo 156.
Sacharjae monumentum in valle Jehosaphat 24.
Samaritani 160.
Sancti, eorum intercessio 158. eorum reliquiae 158.
Sara sterilis peperit 95.
Satanas v. diabolus.
Satisfactio vicaria v. Christus.
Scaligeri thesaurus temporum 88.
Schenkel Dr. Der Unionsberuf 154.
Schroeckh historia eccl. 37.
Scriptura sacra 131 sqq. Canonici libri 133. 134. apocryphi 133. 134.
Scythopolis 12.
Semiariani, ab eorum parte stetit Cyrillus 38.

Sepulcrum Domini. De ejus situ dubitari nequit 22. 77.
Simochius Chosrois filius 84.
Simon magus 59.
Socratica methodus catechizandi 170—173.
Spenerus 170.
Spinis coronatus Christus 76.
Spiritus sanctus 125. ejus natura et persona 125. ejus officium et operationes 126.
Stephanus protomartyr 3. locus martyrii 4.
Symbola non litteris scripta 166.
Symbolum apostolicum, Hierosolymitanum et Nicaenum 43. de symbolo Hierosol. 48. 49.

Theodosius M. imperator 30. 40.
Touttaei delineatio basilicae resurrectionis falsa est 26. Touttaeus vitam Cyrilli scripsit 31. symboli Hierosol. formulam collegit 46.
Trinitas sacrosancta 125. 130.

Ullmann Dr. Gregor von Nazianz 120.
Unctio ante baptismum 141. post baptismum 143.
Ursinus 169.

Valens imperator 39. 40.
Valentinus haereticus 58.
Veneris templum Aeliae Capitolinae 17. a Constantino M. deletum 21.
Verbum divinum v. Scriptura sacra.
Virginitatis laudes 96.

Walchii bibliotheca symbolica 46.
Williams G. the holy city 9. 12. 17. 18. 87.
Wolf Alexander ep. Hierosol. 9.

## Errata.

pag. 16 lin. 28. lege: anno ut pro annout.
pag. 23 lin. 18. lege: tum pro tam.
pag. 44 lin. 13. lege: ἢ pro ἢ.
pag. 79 lin. 26. lege: derisionis pro derionis.
pag. 120 lin. 28. lege: λύτρον pro λότρον.